d'Yongelengelmann
1862

ECLOGAE AMERICANAE

SEU

R 2157-1
FOLIO
QK 241
.V35
1796-1807

DESCRIPTIONES PLANTARUM

PRAESERTIM AMERICAE MERIDIONALIS,

NONDUM COGNITARUM

AUCTORE

MARTINO VAHL,

PROFESS. REGIO ET PLURIUM ACADEMICARUM SODALI.

FASCICULUS PRIMUS. – TERTIUS

1 – 3

TEXTUS

CUM TABULIS AENEIS.

Pritzel 9650

HAUNIAE,

IMPENSIS AUCTORIS.

EXCUDEBANT NICOLAUS MÖLLER ET FILIUS,

AULAE REGIAE TYPOGRAPHI.

MDCCXCVI.

1796

VIRO ILLUSTRI

JOHANNI RYAN,

MEDICINAE DOCTORI,

HISTORIAE NATURALIS CULTORI PERSTUDIOSISSIMO,

IN GRATI ANIMI DOCUMENTUM

HUNC FASCICULUM PRIMUM

OFFERT

M. VAHL.

PRAEFATIO.

Americam non modo pulchritudine, sed & numero plantarum reliquas orbis terraquei partes antecellere, nemo infitias ibit, qui jam detecta perspexerit, vel qui perpenderit, quid adhuc exspectandum, si aliquando lucem viderint spolia, quae ex hac plaga mundi reportarunt peregrinatores indefessi: Bancksius, Solander, Commersonius, Dombejus, Pavonius, Ruizius, Velliosius, ut alios praetéream. Ditior autem pulchriorque apparebit Flora Americana, ſi hujus partis mundi ſcrutatoribus ſedulis naturaeque ſcientia imbutis aliquando liber aditus patuerit, si a polo ad polum ita diligenter perlustrata fuerit ac in praesentiarum Europa. Ex tanto tractu orbis adhuc vix nisi plantas, quas insulae proferunt, novimus, et has vix adhuc omnes, quod abunde inde apparet, quod Cel. Swarzius intra paucos annos plures indagare valuerit, quam fere omnes, qui eadem loca investigarunt. Confirmatur praeterea haec assertio virorum Illuſtr. Rohrii, Ryani, Westii indagationibus. E terra continenti perpaucas deteximus et vix nisi eas, quas ad oras maritimas in transitu legerunt pauci peregrinatores; interiores vero ad terras penetrare adhuc non licuit, plantaeque igitur, quae ibi nascuntur, incognitis inveniendisque sunt annumerandae. Verum enim vero, si numerus plantarum jam detectarum vel cum europaeis, vel asiaticis vel africanis comparatur, America certe singulam ex his copia plantarum superat. Mirum autem non est, cum haec sola omnia climata in se comprehendit, quae singularia tantum sunt singulis ex illis; pulchritudo vero plantarum americanarum aliis causis, futuris indagationibus relinquendis, adscribenda est. Ex dictis constat, tanto majora incrementa acquisitum iri botanicam scientiam, quantum magis indagata examinataque fuerit America.

Visis ditissimis collectionibus virorum longe celeberrimorum, Jussieui Bancksiique, stirpibus americanis praesertim refertissimis, non potui non his palmam deferre propter habitum speciosiorem arborum, ut ex earum ramis dijudicare licet, vel ob florum tam harum quam herbarum elegantiam, vel ob structuram singularem inopinatamque partium, denique nescio ob quam nitorem specialem et faciem novitatis prae iis ex reliquis regionibus mihi cognitis.

Nunquam autem ſperare potui, quod meae sortis foret, perpaucis et multo minus plurimis e tam divite regione novis accessionibus scientiam adaugere, unicuique enim non licitum est adire Corinthum. Familiaritatem autem ante aliquot annos viri antiquae fidei ac de universa historia naturali longe meritissimi, Julii von Rohr, nactus, praeter spem evenit, ut, antea inops, dives plantarum americanarum intra breve tempus evaderem. Vir hic eximius sub itineribus variis, Gossypii culturae cauſa institutis, in Surinamo, Carthagena, St. Martha, Cajenna, Jamaica, insula martinicensi, aliisque insulis americanis ubique plantas perstudiose observavit, descripsit et numerum permagnum collegit. Plurimas harum ante aliquot annos ad amicissimum virum Tönder Lund, ac nonnullas ad me misit, quarum partem in Symbolis meis botanicis jam inserui.

Nuper autem plura centena plantarum ex liberalitate viri laudati, quas ante abitum ex insula St. Crucis reliquerat mei causa, earumque haud paucas nondum cognitas, cura Dn. RYANI ad me pervenerunt. Sed lugubre fatum viri optimi et amicissimi rebus botanicis detrimentum magnum attulit. Sexagenarius, solo amore plantarum incensus, iter periculosissimum in Guineam susceperat, et dum in eo erat, ut voti compos fieret, triste sui desiderium relinquens mihi & scientiae eripitur. Facile perspicitur, tam ex iis, quae jam sunt evulgata quam ex iis, quae in hisce eclogis publici juris sunt facienda, quid exspectandum a viro tam laborioso e terrae parte vix nondum a botanico calcata; sidere vero infausto, ut conjicere licet, periit vir omnibus amantissimus et longiore vita, si quis, dignissimus. Nihil enim ab egressu ejus ex America boreali vel de eo, vel de navigio, cum quo profiscicebatur, est relatum.

Sed beato ROHRIO non unice multum debeo, benefacta Dn. Doctoris JOHANNIS RYANI, intima amicitia cum defuncto juncti eaque dignissimi, silentio non sunt praetereunda, sed grato animo agnoscenda. Hic, nec cognitione nec amore historiae naturalis illi secundus, in Europam revertens, asportavit secum thesaurum plantarum, partim ab ipso in insula St. Crucis, in primis vero in Montserrat, partim a fratre ejus in insula Trinitatis collectum, partim quidquid a v. ROHRIO habuit ipse. Non modo integras has collectiones, omnium praestantissimas vel ob pulchritudinem speciminum vel ob eorum integritatem, dum plurimarum flores fructusque in spiritu vini conservati erant, me donavit, sed et omnia observata in solo natali facta tradidit, totumque sic fructum laboris et sudoris in me contulit. Hisce duobus viris igitur inprimis debeo, quidquid ad augmentum florae Americanae conferre valeo.

Nefas vero foret hoc loco silentio praeterire duorum aliorum de Flora insulae St. Crucis bene meritorum memoriam, nempe Dn. Doctoris PFLUG, qui historiae naturalis amore ductus Americam petiit, morte autem praematura ablatus ea omnia non praestitit, quae sperare licuerat, si longiori vita frui permiserat natura. Alter Dn. WEST, Rector scholae Christianopoli, qui indefesso labore, postquam fere omnia exantlaverat, quae insula nominata profert mecumque communicaverat, nunc totus occupatus est in colligendo Ulvas, Fucos, Confervas et Fungos, quarum copiam aeque ac eorum descriptiones ad me misit nuperrime vir benignissimus.

Pro tot tantisque horum virorum in me munificentiae documentis gratum animum melius reddere non valeo, quam publici juris facere, quod ad scientiae emolumentum contulerunt. Utinam ipsi in se hoc opus suscipere voluissent, errores inevitabiles in determinatione et descriptione plantarum secundum specimina exsiccata devitati essent, observationes quam plurimae, certe haud exigui momenti, quas vix nisi in loco natali instituere licet, in certitudinem et incrementum scientiae additae fuissent. Suffultus autem speciminibus modo dicto asservatis, aeque ac observationibus collectis in loco natali a viris laudatis mecumque benigne communicatis, descriptiones accuratiores et observata, mihi alias non obvia, tradere potui, quod omne non in mei honorem, sed in virorum, qui communicarunt, redundat. Gloriam et honorem igitur Botanicis de scientia bene meritis conferre debemus, uti mos est; his majori jure certo competit, quam totae cohorti maecenatum, qui si non vilipendunt, tamen alto supercilio considerant honorem, illis potius restringendum,

dum, qui vel detectis vel observationibus incrementum scientiae promovent. Plantam igitur jam antea memoriae ROHRII dicavi. In hoc fasciculo aliam nomine RYANI insignivi et si in posterum memoriam ob bene facta duorum nominatorum conservare tento, spero, neminem dari, qui dente Theonino me rodere tentet.

Synonyma pauca addidi, nec addere potui plantis nondum descriptis, ubicunque autem certa aderant, non omisi. In votis quoque erat, plantas Surinamenses ROHRII cum ROLANDRI in Surinamo lectis conferre, dum ex iis, quae enumerantur in fragmento materiae medicae et Oeconomiae Surinamensis ROTTBOLLII Dissert. de plantis rarioribus, plurimae adhuc uti obscurae considerentur, necesse est. Denegata mihi autem fuit occasio eas inspiciendi.

Figuras nonnullarum adjeci, in quibus praecipue studui habitum plantae et structuram accuratam partium fructificationis tradere.

Impresso fasciculo, ad manus pervenit Specimen of the botany of new Holland, ubi jam planta nomine BILLARDIERII insignita invenitur. Delendum igitur hoc nomen in opere nostro et ejus loco planta denominanda erit FRÖLICHIA in honorem Dn. Doctoris JOSEPHI ALOYSII FRÖLICH, clari libello exquisito de Gentianis. Sic quoque ad Piperem caudatum uti Synonymum addendum erit: *Piper nhandi, erectum, petiolis marginatis, foliis sinu profundo cordatis, promisse acuteque acuminatis novemnerviis, spadicibus gracilibus pendulo recurvis.* Acta societ. hist. nat. Paris I. pag. 105.

Reliqua praeloquio non indigent. Ceteroquin, ut conatibus meis ad scientiam illustrandam viri in arte periti favere pergant, oro rogoque.

Hauniae ipsis calendis Martii 1797.

AUCTOR.

EXPLI-

EXPLICATIO
TABULARUM.

TAB. I. PIPER OVATUM.

II. PIPER RUGOSUM.

III. PIPER AEQUALE.

IV. RICHERIA GRANDIS. a) Flos masculus magnitudine auctus absque petalis. b) Petalum. c) Stamina cum rudimento germinis. e) Flos foemineus absque petalis magnitudine naturali. f) Pistillum magnitudine naturali. g) Pistillum ope lentis auctum. h) Capsula magnitudine naturali. i) Capsula valvulis exterioribus dehiscentibus. k) Capsula interior. l) Capsula interior dehiscens. m) Valvulae duae cum parte dissepimentorum. n) Capsula transversim secta. o) Columella cum seminibus. p) Eadem ab altero latere visa cum seminibus duobus. q) eadem cum parte dissepimentorum. r) Semen magnitudine naturali. s) Semen ipsum parum denudatum. t) Semen ipsum totum denudatum situ naturali. u) Inversum. x) Albumen cum embryone. y) Embryo.

V. SCHRADERA CAPITATA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter aperta. c) Stamen. d) Pistillum cum calyce. e) Idem calyce ablato.

VI. GUETTARDA CRISPIFLORA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter secta. c) Anthera magnitudine aucta. d) Pistillum auctum. e) Drupa magnitudine naturali. f) Putamen. g) Idem transversim sectum.

VII. MELASTOMA ACUMINATA.

VIII. BUCIDA CAPITATA. a) Flos magnitudine naturali. b) Flos auctus. c) Calyx apertus et auctus cum Staminibus. d) Pistillum magnitudine auctum. e) Drupa magnitudine naturali. f) Putamen ad medium fere denudatum. g) Idem totum denudatum. h) Idem transversim sectum. i) Semen.

Fig. 2. An varietas Bucidae capitatae?

IX. RYANIA SPECIOSA. a) Flos magnitudine naturali. b) Stamen auctum. c) Pistillum cum nectario magnitudine naturali. d) Pistillum ablato nectario. e) Bacca integra magnitudine fere naturali. f) Eadem transverse secta. g) Eadem ablatis seminibus. h) Semen magnitudine naturali cum arillo. k) Albumen decorticatum integrum. l) Idem longitudinaliter apertum cum situ et figura embryonis magnitudine parum auctum. m) Embryo magnitudine naturali.

X. CATESBAEA PARVIFLORA. a) Flos ante explicationem magnitudine naturali. b) explicatus. c) longitudinaliter sectus. d) Pistillum cum calyce. e) Bacca magnitudine naturali. f) Eadem transversim secta. g) Semen naturali magnitudine. h) Eadem a latere interiore parum auctum. i) Eadem facie dorsali.

SCOLOSANTHUS VERSICOLOR. a) Flos axillaris magnitudine naturali. b) Flos Spinarum magnitudine naturali. c) Stamina cum pistillo aucta. d) Drupa magnitudine naturali. e) Putamen.

BILLARDIERIA PANICULATA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter aperta. c) Calyx. d) Pistillum. e) Bacca magnitudine naturali. f) Semen arillo tectum. g) Semen arillo aperto.

AEGIPHILA ARBORESCENS. a) Flos magnitudine naturali. b) Auctus. c) Longitudinaliter sectus. d) Calyx cum pistillo. e) Pistillum. f) Bacca calyce basi vestita. g) Calyx fructiferus. h) Bacca tota nuda. i) Eadem transversim secta. k) Semen latere interiore. l) dorso visum.

CESTRUM LATIFOLIUM. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter dissecta. c) Calyx lente auctus. d) Calyx cum pistillo magnitudine naturali. e) Pistillum auctum. f) Bacca basi calyce tecta magnitudine naturali. g) Eadem transversim secta. h) Semen.

LAUGERIA RESINOSA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter aperta. c) Calyx cum pistillo ope lentis auctus. d) Anthera magnitudine aucta. e) Pistillum auctum. f) Drupa magnitudine naturali. g) Eadem transversim secta. h) Putamen.

PILOCARPUS RACEMOSUS. a) Flos clausus parum auctus. b) Corolla aperta. c) Petalum parum auctum. d) Stamina cum Pistillo aucta. e) Pistillum auctum. f) Capsula magnitudine naturali. g) Cocculi tres aperti, duo superiores vacui, inferior cum semine. h) Cocculi duo maturi. i) Lamina interior clausa. k) Arillus. l) Lamina interior cocculi elastice dehiscens. m) Semen. n) Cotyledones separatae magnitudine naturali. o) Cotyledon demtis radicula et plumula. p) Plumula et radicula parum auctae.

PANAX CRYSOPHYLLUM. a) Flos magnitudine naturali. b) Lente auctus. c) Stamina et pistillum magnitudine justo majores. d) Anthera magnitudine aucta. e) Pistillum auctum. f) Bacca magnitudine naturali. g) Semen magnitudine naturali.

JUSTICIA.

JUSTICIA IMBRICATA, acaulis, foliis lanceolatis integerrimis, squamis floriferis tridentatis.

Vidi in herbario *Marcgravii*.

RADIX glaber.

SCAPI plures, erecti, spithamaei, simplices, interdum superne in ramos 2 vel 3 divisi, imbricati squamis adpressis, subulatis, carinatis: carina pallidis.

FOLIA radicalia, plura, petiolata, sesquipollicaria, lanceolata, per petiolum parum decurrentia, glabra, subtus costa & nervis subvillosa.

SPICA terminalis, sesquipollicaris vel parum ultra, simplex, interdum rudimentum ramuli ad basin, imbricata, teres, scapo similis, modo parum crassior. *Squamae* lanceolatae, glabrae, convexae, concavae, superne & inferne utrinque auctae margine membrana angusta, apice tridentatae: dens intermedius mucro rigidiusculus, flavescens, lateralibus parum longior. *Flos* solitarius sub singula squama. *Bracteae* duae, setaceae, ad basin calycis.

CALYX profunde quadripartitus, longitudine fere squamae: *Laciniis* linearibus, angustis, margine parum membranaceis, aequalibus, apice subciliatis, duae oppositae parum latiores.

CAPSULA magnitudine calycis, ovata, acuta, glabra, parva. *Valvulae* patulae. *Dissepimentum* valvis contrarium. *Retinacula* seminum uncinata.

SEMINA solitaria, minuta.

Facie tam similis Justiciae acauli, ut facile eandem crederes, differt vero radice in summitate non lanata, foliis lanceolatis integerrimis, squamis spicae tridentatis. Nec in *Marcgravio* nec in *Pisonio* descriptam invenio, ideoque ex his nullum synonymum adjicere potui.

Locus ejus erit prope Justiciam acaulem.

JUSTICIA RYANI, pedunculis axillaribus terminalibusque oppositis trifloris, bracteis linearibus, foliis ovato-lanceolatis attenuatis.

In Montserrat legit *Ryan*.

CAULIS lignosus, teretiusculus, glaber: *geniculis* crassis.

FOLIA petiolata, quadri- vel quinquepollicaria, ovato-lanceolata, interdum elliptico-lanceolata, per petiolum parum decurrentia, integerrima, glabra, attenuata, nervosa, obscure venosa.

Pedunculi axillares solitarii, terminales gemini, striato-fubangulati, folio breviores, glabri, triflori. *Flores* laterales sessiles, intermedius pedicellatus. *Bracteae* geminae ad basin calycis, lineares, calyce parum breviores.

Calyx simplex, quinquepartitus: *laciniis* lineari-lanceolatis, glabris, corolla triplo vel quadruplo brevioribus.

Corolla bilabiata, pollicaris. *Labium superius* lanceolatum, indivisum; *inferius* longitudine superioris, profunde trifidum: *laciniis* oblongis, obtusis.

Stamina *filamenta* duo, longitudine fere labii superioris. *Antherae* duae in singulo filamento, altera parum infra alteram.

Capsula fere pollicaris, oculo armato pubescens.

Aliquatenus ad Justiciam peruvianam Cavanil. Icon. & descript. plant. 1. pag. 17. tab. 28. accedit, illa vero gaudet floribus in spica alternis labioque inferiore minus profunde secto.

Collocatur prope Justiciam laevigatam. Symb. bot. 2. pag. 16.

JUSTICIA pauciflora floribus axillaribus sessilibus solitariis, foliis ovatis, caule erecto.

In insula St. Crucis legit Rector *West.*

Caules plures, erecti, sesquipedales, teretiusculi, basi lignosi, tenues, articulati; articulis bi-sive quinquepollicaribus, linea villosa decurrens alternans in singulo articulo, ramosi: *rami* oppositi, remoti, patentes, simplices.

Folia breviter petiolata, opposita, unguicularia vel subpollicaria, ovata, saepe obtusa cum acumine brevissimo, interdum acutiora, supra obscure oblique nervosa, avenia, oculo armato pilis raris adspersa, saepe glabra: subtus pallidiora, subnervoso-venosa, pilosa, praesertim in costa nervis & versus marginem, plerumque integerrima, interdum obscure crenato subrepanda.

Petioli margine ciliati.

Flores versus apices ramorum & caulis, axillares, solitarii, sessiles.

Calyx quadripartitus; *laciniis* subulatis, aequalibus.

Corolla unguicularis vel parum ultra, extus villosa, bilabiata. *Tubus* angustus. *Labium superius* lineare, erectum, integrum: *inferius* superiore parum brevius, patentissimum, trifidum: laciniis rotundatis, subaequalibus.

Stamina *filamenta* 2. labio superiore breviora. *Antherae* duae in singulo filamento, altera parum supra alteram.

CAPSULA oblonga, inferne angustata, glabra. *Valvulae* patulae.

SEMINA flava, tuberculis minutis frequentibus adspersa, glabra.

Locanda post Justiciam bifloram. Symb. bot. 2. pag. 16.

PIPER.

PIPER OVATUM, foliis ovatis venosis multinerviis basi aequalibus, baccis pedicellatis distantibus, ramis laevibus.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄.

RAMI glabri, articulati, inferne teretes, superne parum angulati, substriati. *Geniculi* nodosi.

FOLIA petiolata, alterna, palmaria et ultra, late ovata, extrorsum versus sensim attenuata, acuta, basi aequalia, glabra, subtus pallidiora.

Petiolus unguicularis, carinatus.

SPICAE oppositifoliae, pedunculatae, solitariae, rectae, tripollicares.

Pedunculi longitudine petioli.

BACCAE pedicellatae, distinctae, parum distantes, magnitudine seminis sinapi, ovatae, tetragonae, acuminatae.

PIPER CAUDATUM, foliis cordatis novemnerviis venosis glabris attenuatis basi sinu profundo.

Piper caudatum seu Nhamdu Marcgr. hist. rer. nat. Bras. pag. 75.

Nhandi Piso de med. Bras. pag. 96. hist. nat. & med. pag. 97.

Secundum specimen herbarii Marcgravii descripsi.

CAULIS fruticosus, teres, glaber, laevis. *Geniculi* aequales.

FOLIA petiolata, tri- vel quadripollicaria, exacte cordata, valdé attenuata, laevia: venis minus ramosis.

Petioli aequales.

SPICAE pedunculatae, oppositifoliae, subtripollicares, tenues. *Pedunculus* petiolo brevior. *Flores* confertissimi.

A Pipere reticulato diversum foliis exacte cordatis, basi sinu profundo, lobis magis distantibus. Recedit quoque a Plumierii figura Piperis decumani, tam figura foliorum, quam crassitie spicarum, quae in planta Marcgravii vix crassitiem fili tenuioris emporetici aequant, uti & caule vel ramis tenuioribus. Tlatlancuaye Hernand. Mex. pag. 126., a Marcgravio huc relata, ad aliam plantam certo spectat.

PIPER RUGOSUM, foliis ovato-oblongis venosis glabris basi subaequalibus subtus reticulatis, ramis laevibus, petiolis simplicibus.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ.

RAMI glabri, laeves, recti, inferne teretes, superne angulati, laeves, articulati, ope lentis quasi pulverulenti. *Geniculi* nodosi.

FOLIA petiolata, alterna, quinque- vel sexpollicaria, oblonga, basi ovata, apice acuta, venoso-reticulata, subrugosa, praesertim subtus e venis exstantibus, basi aequalia.

Petioli unguiculares, supra canaliculati, subtus acute carinati.

SPICAE oppositifoliae, pedunculatae, solitariae, semipollicares (aetate forte longiores), teretes, mucrone brevi absque floribus terminatae.

Pedunculi longitudine petioli.

PIPER AEQUALE, foliis elliptico-lanceolatis venosis attenuatis basi aequalibus glabris, ramis laevibus geniculatis.

Habitat in Montserrat. *Ryan* ħ.

RAMI teretes, glabri, laeves, articulati: articulis parum infractis, sesquipollicaribus. *Geniculi* nodosi.

FOLIA petiolata, alterna, palmaria et ultra, utrinque glabra, venosa; venis tenuissimis, multinervia, subtus pallidiora nervis parum exstantibus, basi apiceque obtusiuscula.

Petiolus unguicularis, simplex, supra canaliculatus, subtus acute carinatus.

SPICAE oppositifoliae, pedunculatae, sesquipollicares, teretes, obtusae: juniores parum curvatae, adultiores rectae.

Pedunculus longitudine petioli.

PIPER PRAEMORSUM, foliis lanceolato-ellipticis attenuatis glabris, basi altero latere brevioribus, spicis superne recurvatis.

Piper praemorsum. Rottböll dissert. descr. rar. plant. surin. pag. 16.

Habitat in Surinamo. ħ.

RAMI teretes, glabri, ad articulos nodosi.

FOLIA petiolata, alterna, remota, integerrima, utrinque glabra, tenuissime oblique remote multinervosa, subvenosa, subtus parum pallidiora, altero latere spatio unguiculari supra basin desinentia, acuta, quinque- vel sexpollicaria.

Petiolus semiunguicularis.

SPICA oppositifolia, pedunculata, quadri- vel quinquepollicaris, patens, crassitie fili emporetici tenuioris, apice recurva.

Pedunculus petiolo duplo longior.

FLORES confertissimi.

Affinis videtur Piperi nitido Swartzii.

PIPER OBOVATUM, foliis ternis petiolatis obovatis emarginatis glabris, caule repente.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

CAULIS ramosus. *Rami* diffusi, radicantes, glabri, crassitie fili emporetici tenuioris, alterni, infimi interdum oppositi, fusci.

FOLIA petiolata, terna, unguicularia vel minora, obovata, subrotunda, basi acuta, apice emarginata, obscure trinervia, avenia.

SPICA terminalis ramorum solitaria, recta, tripollicaris, crassitie ramorum, teres, pedunculata.

Pedunculus unguicularis.

A Pipere cordato Swartzii et Pipere retuso Linnaei differt foliis ternis ad singulum articulum. Accedit ad figuram Piperis trifoliati in Plumerio, at differt foliis emarginatis, basi acutis. An modo varietas?

XIPHIDIUM.

XIPHIDIUM FLORIBUNDUM Swart. prodrom. pag. 17.

Xiphidium Loefl. it. pag. 179.

Xiphidium coeruleum AUBL. flora Guian. pag. 33. tab. II.

Ex insula Trinitatis. *Ryan.*

RADIX fibrosa.

CAULIS erectus, interdum fere bipedalis, simplicissimus, inferne vaginis foliorum tectus, striatus, superne pubescens. *Stolones* repentes ad radicem, pedales & ultra, articulati, vaginati: *Vaginae* ovatae, acuminatae.

FOLIA ensiformia, bifaria, pedalia & ultra, sesquipollicem lata, glabra: inferiora basi vaginantia, approximata, a basi ad medium conduplicata, supra medium margine interiore dilatata, apicem versus utrinque aculeis minutissimis serrulata: supremum a reliquis remotum, angustius, sessile, caule brevius, margine exteriore a basi ad apicem aculeato serrulatum margine interiore tantum versus apicem.

Racemus terminalis, palmaris et ultra, compositus. *Pedicelli* alterni, uti pedunculus communis, villosi. *Bracteae* subulatae.

Calyx nullus.

Corolla hexapetala, persistens. *Petala* ovato-lanceolata, semiunguicularia, acuta, tria exteriora parum breviora.

Stamina: *filamenta* tria. *Antherae* oblongae, corolla breviores, erectae.

Pistillum: *germen* superum, globosum, glabrum. *Stylus* unicus, longitudine filamentorum, persistens. *Stigma* simplex, planum, stylo vix latius.

Capsula mollis, globosa, magnitudine pisi, glabra, lineis tribus exarata, trilocularis, superne in valvulis tribus dehiscens. *Dissepimenta* ventralia.

Receptaculum seminum carnosum, globoso-triquetrum, subturbinatum, oculo armato inaequale.

Semina in seriebus obliquis moniliformibus digesta, minuta, globosa, laevia, utrinque mucronata, inter singulum semen corpusculum obovato-subglobosum, punctatum, superne parum concavum, basin seminis recipiens, semine parum angustius.

Quaerit Jussieu in gener. plantar. pag. 59: num receptaculum ut in Wachendorfia? e data descriptione patet, diversum esse, uti et respectu hujus Juncis et Veratro minime affine.

SCHOENUS.

Schoenus hirsutus, hirsutus, pedunculis axillaribus terminalibusque, pedicellis racemosis trispicatis.

Habitat in America meridionali. *v. Rohr.*

Culmi plures, triquetri vel spithamaei, filiformes, simplices, foliosi, erecti, uti folia et pedunculi e pilis albis mollibus distinctis patentibus hirsuti.

Folia filiformia, alterna, culmo breviora, remota, canaliculata, subtus carinata.

Pedunculi e vaginis foliorum, folio breviores, solitarii. *Pedicelli* tres vel quatuor, alterni, capillares, vix unguiculares, bi- sive triflori.

Spiculae breviter pedicellatae, oblongae, attenuatae, parvae. *Folium* capillare ad basin singuli pedicelli, unguiculare, pilis raris longis ciliatum.

Squamae oblongae, ferrugineae, margine albidae, carinatae, glabrae: exteriores breviores, mucronatae.

SCIRPUS.

SCIRPUS SPADICEUS, culmo semitereti nudo retrorsum scabro, umbella composita, spicis dichotomiae sessilibus, involucris brevibus.

Gramen cyperoides majus aquaticum, paniculis plurimis junceis sparsis, spicis ex oblongo subrotundis spadiceis. *Sloan.* hist. jam. I. p. 118. tab. 76. fig. 2.

Scirpus spadiceus culmo triquetro nudo, umbella subnuda, spicis oblongis sessilibus terminalibusque. *Linn.* S. V. pag. 100.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CULMI bipedales, erecti, tenues, striati, glabri, altero latere convexi, altero planiusculi: angulis retrorsum scabris.

FOLIA angusta, glabra, culmo breviora.

UMBELLA terminalis, composita: *universalis radiis* circiter 8. 9., inaequalibus, tri- vel quadripollicaribus vel minoribus, altero latere convexis, altero canaliculatis, glabris, margine retrorsum scabris; *partialis* radiis 8., pollicaribus vel brevioribus, structura radiorum umbellae universalis. INVOLUCRUM *universale* 3-4 phyllum: *foliolum* unicum radium longiorem aequans, reliqui pollicares vel breviores, retrorsum scabri, canaliculati; duo opposita exteriora majora, basi fusca; *partiale* bisive triphyllum; *foliolis* unguicularibus.

SPICAE tres in singulo radio umbellae partialis, oblongae, demum cylindricae, unguiculares, acutiusculae, imbricatae, fusco-nitidae: intermedia sessilis. *Squamae* oblongae, obtusae, convexae, concavae, apice carinatae: carina in mucronem obscurum excurrente.

POA.

POA RACEMOSA, spiculis lineari-lanceolatis compressis, racemis compositis, pedunculis basi barbatis, foliis involutis subpilosis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CULMI sesquipedales, erecti, filiformes, simplices, glabri, teretes, basi compressiusculi.

FOLIA involuta, subulata, tri- vel quadripollicaria, striata, pilis rarioribus praesertim supra adspersa, subtus saepe glabra.

Vaginae glabrae: fauce barbatae.

PEDUNCULI alterni, retrorsum scabri, quinque vel sex, remoti, uti pedicelli basi barbati. *Pedicelli* brevissimi, alterni, remoti, tres vel septem in singulo pedunculo.

SPICULAE cyperinae, lineares, compressae, circiter 13-florae: flosculi alterni, solitarii.

Rachis flexuosa, denticulata.

VALVULAE *calycinae* lanceolatae, glumis corollinis angustiores.

GLUMAE *corollinae* exteriores ovatae, carinatae, attenuatae, acutae, apice patulae pureaeque, obscure trinerviae: oblongo-lineares, obtusae.

SEMEN croceum, nitidum, subpellucidum.

Variat spiculis 23-floris, pallidis nec coloratis, uti et culmo foliisque brevioribus.

Differt haec species, uti et nonnullae aliae hujus generis a reliquis nota singulari scilicet, quod, maturo semine, decidunt sensim valvulae corollinae exteriores, interiores vero persistunt a basi ad medium erectae, rachi adpressae, a medio ad apicem autem patenti recurvatae, hinc rachis tota post casum florum alternatim dentato-pinnata apparet.

SPERMACOCE.

SPERMACOCE LINIFOLIA foliis lineari-lanceolatis villosis laevibus summis quaternis, floribus verticillatis, staminibus exsertis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

CAULIS herbaceus, tetragonus, villosiusculus, praesertim angulis, apice cinereus.

FOLIA subpetiolata, unguicularia, suprema vix pollicaria, lineari-lanceolata, basi apiceque acuta, margine scabra, utrinque villosa, obscure nervosa, subtus parum pallidiora, quatuor sub verticillo terminali: duo parva in singula axilla.

Petiolus brevissimus. *Stipula* membrana multifida; laciniis setaceis.

FLORES plures, stipulis parum longiores, verticillati: *verticillus* terminalis, globosus, reliquis parum major.

CALYCES villoso-cinerei.

STAMINA corolla longiora: *Antherae* coeruleae.

Locus post Spermacocem strictam, cui affinis videtur, diversa tamen foliis cauleque villosis, stipulis majoribus.

SPERMACOCE LONGIFOLIA, glabra, foliis lanceolatis utrinque acutis margine scabris, verticillis dimidiatis.

Spermacoce longifolia: caule flexuoso, floribus minimis, foliis ovato-oblongis acutis. AUBL. flor. Guian. pag. 58. tab. 21.

In

In Cajenna legit *von Rohr*, mecum communicavit *Ryan.*

Caulis tetragonus, glaber, purpurascens, laevis, apice cinerascens e pilis brevissimis oculo armato videndis, ramosus: *Rami* axillares, alterni, structura caulis, foliis tribus terminati.

Folia subpetiolata, patentissima, sesquipollicaria, remota, ad apicem conferta, lanceolata, basi apiceque attenuata, margine retrorsum scaberrima, glabra, supra obsolete nervosa: substus pallidiora, nervosa, ope lentis nervis pilosis, vix tamen scabra.

Petioli e basi foliorum attenuati, brevissimi.

Stipulae multifidae: *laciniis* sex vel septem, setaceis, erectis.

Flores in altera axilla, in capitulum glomerati, sessiles, circiter viginti quatuor villosiusculi: ramulus vel rudimentum ramuli in axilla opposita.

Calycis *laciniae* ovatae.

Folia quidem in specimine Rohrii minora sunt iis, quae habet figura Aublaetii, plantam tamen diversam non esse contendit v. Rohr, qui eam in eodem loco legit quo Aublaetius.

SPERMACOCE coerulescens foliis ovatis acutis pilosiusculis laevibus, stipulis floribus verticillatis aequantibus, staminibus exsertis.

Spermacoce coerulescens: foliis ovatis acutis; floribus numerosis axillaribus verticillatis, caule simplici erecto. Aubl. fl. Guian. pag 57., tab. 19. fig. 2.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

Caulis herbaceus, simplex, tetragonus, inferne glaber, superne villosiusculus, linea pilorum per angulos decurrens, terminatus foliis ternis.

Folia breviter petiolata, pollicaria, pollicem fere lata, inferiora internodiis triplo vel quadruplo breviora, ovata, suprema lanceolata, utrinque acuta, margine scabra, adspersa in utraque pagina, praesertim juniora, pilis raris, latiusculis, decumbentibus, pellucidis, oculo armato videndis, non tamen scabra, subtus pallidiora, avenia, tenuissime oblique nervosa; juniora, secundum nervos supra lineata.

Petiolus vix semiunguicularis.

Stipulae pilosae, breves: *laciniae* utrinque sex, setaceae, semiunguiculares, stipula ipsa longiores, glabrae, ferrugineae, erectae.

Flores superne, parvi, verticillati, longitudine stipularum, copiosi praesertim in verticillo terminali.

Calyces cinereo - villosi.

Affinis esse videtur Sper. villosae *Swartzii*, at folia non ovato-lanceolata, nec superiora quaterna, nec stamina inclusa.

SPERMACOCE aspera foliis ellipticis scaberrimis acutis glabriusculis, floribus axillaribus confertis, staminibus inclusis.

Spermacoce aspera foliis oblongis, angustis asperis; floribus verticillatis. Aubl. fl. Gu. pag. 59. tab. 22. fig. 6.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.*

Caulis herbaceus, erectus, tetragonus, angulis pilosis, ramosus.

Folia subsessilia, opposita, elliptica, pollicaria, integerrima, nervosa, utrinque scabra, praesertim subtus, quatuor suprema approximata, oculo armato pilis raris adspersa, avenia, oblique nervosa, inferiora secundum nervos lineata, margine subciliata.

Stipulae membrana utrinque quinqueseta; setis pilosis.

Flores plures utrinque in singula axilla.

Facile eandem esse crederem cum Spermacoce hirta *Linnaei*, si folia hirsuta essent, ut habet descriptio *Swartzii* obs. pag. 45. cum vero pili non nisi oculo armato apparent, nec stamina corolla longiora, diversa forte est Sp. a hirta, & differre videtur foliis vix villosis. *Aublaetii* Sp. asperam huc retuli ex autoritate *von Rohr*, qui contendit, illam specie non differre, quamvis folia lanceolata et longiora habeat figura *Aublaetii*. Prope Sp. hirtam collocatur.

SIDERODENDRUM.

CHARACTER ESSENTIALIS. Corolla tubulosa. Calyx subquadridentatus. Stigmata duo revoluta. Bacca dicocca, bilocularis: loculis monospermis.

SIDERODENDRUM triflorum.

Sideroxyloides ferreum. Jacqu. hist. st. Amer. pag. 19. tab. 175. fig. 9.

In Montserrat legit *Ryan* ♄.

Rami glabri, inferne teretes, superne subtetragoni, apice compressi.

Folia petiolata, opposita, quinque- vel sexpollicaria, elliptico-lanceolata, acuminata, basi apiceque acuta, integerrima, utrinque glabra, tenuiter venosa, subtus parum pallidiora.

Petioli

Petioli vix unguiculares, subtus convexi, supra plani. *Stipulae* interfoliaceae, ovatae, acuminatae.

Pedunculi axillares, utrinque gemini, semiunguiculares, fusci, glabri: *pedicelli* tres, brevissimi. *Bractea* utrinque ad basin pedicellorum, parva.

Calyx. Perianthium breve, subintegerrimum, obsolete quadridentatum, glabrum.

Corolla monopetala. *Tubus* unguicularis, cinerascens. *Limbi laciniae* oblongae, obtusae, patentes.

Stamina. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* lineares, erectae, laciniis limbi dimidio breviores.

Pistillum. *Germen* inferum, oblongum. *Stylus* capillaris, longitudine corollae. *Stigmata* duo, lanceolata, acuta, revoluta.

Corolla saepe mutatur, forte ab insecto quodam, in folliculum oblongum, semipollicarem, carnosum, intus cavum, apice acumine terminatum, fructum mentientem.

SCOLOSANTHUS.

CHARACTER ESSENTIALIS. Corolla tubulosa limbo revoluto. Calyx quadrifidus. Drupa monosperma.

SCOLOSANTHUS versicolor.

Catesbaea parviflora. La Marck Tableau Encycl. et Meth. Botan. tab. 67.

In insula St. Crucis Americae legit *Ryan* ♄.

Rami teretes, apice alternatim compressi, remoti, plerumque oppositi, rarius alterni, interdum bifidi, crassitie fili emporetici, viridi subcinerascentes, ad lentem pubescentes, articulati; *internodia* unguicularia: *geniculi* subannulati e membrana brevi stipularum evanescente.

Folia subsessilia, opposita, utrinque duo ad quinque, rarius solitaria, vix unguicularia, alia parum minora, obovata, integerrima, subcoriacea, avenia, enervia, nitida.

Spinae plerumque geminae, ex singulis axillis alternis, basi connatae, divaricatae, folio ut plurimum parum longiores, rigidae, purpurascentes, altera saepe apice florifera.

Flores brevissime pedunculati: alii ex apice spinae alterius solitarii, parum minores, plerumque cernui: alii axillares, solitarii, rarius gemini vel quatuor, erecti, parum majores.

CALYX. PERIANTHIUM monophyllum, superum, parvum, quadrifidum: *laciniis* lineari-lanceolatis, corolla quadruplo brevioribus, acutis, patentibus.

COROLLA monopetala, unguicularis, tubulosa, ante explicationem exacte tetragona, angulis acutis, parum incurvata, sursum sensim ampliata; explicata subtetragona, angulis obtusis. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* ovatis, acutis, revolutis.

STAMINA. *Filamenta* quatuor, erecta, fundo corollae vix insidentia, basi in tubo tetragono glabro parum cohaerentia, inferne pilosiuscula. *Antherae* lineares, erectae, longitudine tubi.

PISTILLUM. *Germen* inferum, parvum. *Stylus* capillaris, corolla parum longior. *Stigmata* duo, parva, obtusa, stylo parum crassiora.

PERICARPIUM. Drupa subglobosa, magnitudine Piperis nigrae, glabra, succulenta, mucronata e laciniis calycinis persistentibus.

Putamen oblongum, sublapideum, uniloculare, monospermum.

Collocatur in Tetrandria monogynia prope Catesbaeam. Sequentia communicavit inventor *Ryan:*

FRUCTICULUS bipedalis, ramosus, habitu fere Justiciae spinosae. *Spinae* juniores plerumque floriferae, post casum florum ulterius excrescentes. *Flores* ex apice spicarum purpurei, abortientes: *axillares* crocei, fructificantes. *Fructus* niveus, monospermus.

CATESBAEA.

CATESBAEA PARVIFLORA, corollis tubo tetragono abbreviato, baccis subrotundis. SWARTZ. prodrom. pag. 30.

Rhamnus foliis buxeis minimis, confertim nascentibus, spinis longis armata. SLOANE hist. Jam. 2. pag. 100. tab. 207. fig. 1.

Descriptioni hujus, in Symbol. bot. p. 2. pag. 31 datae, adde sequentia ex observatione *Ryanii* uti et ex speciminibus pluribus spiritu vini asservatis mecumque a viro laudato benigne communicatis:

FRUTEX tri- vel quinquepedalis, trunco vix ullo, ramosissimus, spinosissimus. *Rami* oppositi, decussati.

FOLIA rarius opposita, plerumque tria vel quatuor sub singula spina, basi acutiora et interdum parum attenuata, apice saepe mucrone brevissimo.

COROLLAE *tubus* exacte tetragonus, sursum sensim amplior, angulis acutis decurrentibus. *Laciniae limbi* ante explicationem in pyramidem conniventes, e marginibus

parum

parum involutis marginatae, angulo exsante ad basin singulae divisurae: explicatae ovatae, planae, demum recurvae.

Filamenta basi tubi inserta, ejusque fere longitudinis, glabra. *Antherae* lineares, erectae, limbo parum breviores.

Stylus antheris vix longior, superne parum crassior, tortus, inflexus. *Stigma* subbilamellatum, margine coloratum.

BACCA magnitudine pisi, bilocularis, glabra, coronata laciniis calycis quatuor, parum incurvis.

SEMINA decem in singulo loculamento, subrotundo-oblonga, saepe parum irregularia, compressa, extus convexiuscula, altero latere parum concava, utrinque scabriuscula.

Ex his patet, Catesbaeam parvifloram non modo specie, sed et genere a Scolosantho nostro diferre. Cum figura hujus sat commoda in T. Enc. aeque ac Catesbaeae in *Sloaneo*, quamvis haud optima, jam habetur, icones integras earum uti supervacaneas esse duxi, dum differentia earum quoad plantam e figuris citatis satis superque apparet. Structuram vero partium fructificationis, utpote in *la Marckii* haud accuratam, inque *Sloanei* omnino desideratam, depingere non abs re esse dijudicavi, ideoque tam Catesbaeae parviflorae quam Scolosanthi in Iconibus dedi.

BILLARDIERIA.

CHARACTER ESSENTIALIS. COROLLA tubulosa. CALYX superus, quadridentatus. BACCA monosperma, exsucca. SEMEN arillatum.

BILLARDIERIA PANICULATA.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ħ

ARBOR humilis. Rami tetragoni, glabri, cortice cinereo, apice compressi.

FOLIA petiolata, opposita, subspithamaea, elliptico-ovata, vel ut plurimum lanceolato-elliptica, acuminata: acumine interdum pollicari, integerrima, utrinque glabra, venosa.

Petioli pollicares, glabri. *Stipula* utrinque brevissima, rotundata, acuminata, demum evanescens.

PANICULA terminalis. *Pedunculi universales* plerumque solitarii, rarius terni, tri- vel quadripollicares, obscure tetragoni, uti partiales et pedicelli glabri, purpurascentes:

partiales inferiores oppositi, patentissimi, semel trichotomi, ramis singulis tri- quadri- vel quinquefloris; *superiores* subalterni, sex- ad novemflori. *Flores* breviter pedicellati.

Calyx. *Perianthium* monophyllum, superum, persistens, obsolete quadridentatum.

Corolla monopetala, unguicularis vel parum ultra, crassa. *Limbus* quadrifidus: *Laciniae* patentissimae, parum recurvatae, lineari-lanceolatae; apice incrassatae, triquetrae, supra acute carinatae, a medio ad basin planae.

Stamina. *Filamenta* quatuor, tubo inferne inserta, brevissima. *Antherae* erectae, lineares, parum ultra tubum prominentes.

Pistillum. *Germen* inferum. *Stylus* longitudine fere limbi. *Stigmata* duo, oblonga, compressa, obtusiuscula, patula, crassiuscula.

Pericarpium. *Bacca* elliptica, exsucca, suberosa, duriuscula, parum compressa, unguicularis, tubo brevi e calyce persistente coronata, intra eum callositas parva convexa.

Semen unicum, figura baccae, arillatum. *Arillus* chartaceus, semen totum laxe tegens, absque ulla rima. *Umbilicus* externus ventralis, papilla minuta, planiuscula, oblonga, carnosa. *Integumentum* tenuissimum, arctissime adnatum. *Albumen* figura seminis, carnosum, crassissimum.

Embryo centralis, oblongus, teres, albumine triplo minor, erectus. *Radicula* brevissima.

Chartaceum integumentum seminis arillus est nec putamen: Pericarpium igitur, quamvis monospermum, potius Bacca est quam Drupa.

Ad Coffeam in variis accedit, e descriptione autem fructus luculenter apparet, quod genere differat. Coussarea *Aublaeti* forte congener est, sed cum figura hujus haud optima et descriptio nimis succincta, nil certi pronunciare audeo.

In honorem *Jac. Jul. Billardierii*, Auctoris Iconum et Descript. Plantarum rariorum Syriae, plantam, quantum mihi notum, nondum descriptam nominavi.

AEGIPHILA.

AEGIPHILA martinicensis, foliis lanceolato-ellipticis calycibusque glabris, racemis axillaribus terminalibusque subcompositis.

Aegiphila martinicensis. Jacqu obs. 2. pag. 3. tab. 27. Lin. S. Veg. 160.

Legit in insula Montserrat *Ryan.* ♄

Rami

RAMI inferne teretes, superne tetragoni, versus apicem ad folia parum latiores, compressi, fusci, laeves.

FOLIA quinquepollicaria, sursum minora, patentia, utrinque glabra, venosa, laevia.

Petioli pollicares.

RACEMI axillares oppositi, patentissimi, folio dimidio breviores. *Pedunculi partiales*, oppositi, semel vel saepe bis bifidi: ramulis bi- sive trifloris, floribus pedicellatis. *Bracteae* subulatae ad basin pedunculorum partialium et pedicellorum.

CALYX subinteger.

Variat foliis latioribus et angustioribus.

AEGIPHILA ARBORESCENS, foliis ellipticicis acuminatis glabris planis, corymbis axillaribus calycibus ramisque incanis.

Manabea arborescens: foliis ovatis acuminatis, floribus glomeratis albis. AUBL. fl. Gu. pag. 64. tab. 24.

Habitat in Insula Trinitatis. *Ryan.* ħ

ARBOR mediocris.

RAMI tetragoni, incani.

FOLIA opposita, petiolata, palmaria et ultra, acuminata, basi attenuata et per petiolum parum decurrentia, oblique nervosa, obscure venosa, tenera, supra glabra, subtus pallida e villis minutissimis oculo armato conspiciendis: tenella utrinque e tomento incana.

Petiolus sesquipollicaris.

Pedunculi axillares, solitarii, oppositi, petiolis longiores. *Flores* copiosi, in corymbo dichotome diviso, fastigiati, pedicellati uti flos dichotomiae. *Bracteae* sub ramificationibus subulatae, incanae, parvae.

CALYX. PERIANTHIUM inferum, persistens, quadridentatum, ante explicationem floris pyriforme, explicatum turbinatum, fructiferum hemisphaericum.

COROLLA monopetala, infundibuliformis: *tubo* calyce parum longiore. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* lanceolatis.

STAMINA. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quatuor, parvae, in fauce tubi.

PISTILLUM. *Germen* superum, semiglobosum. *Stylus* unicus, capillaris, corolla duplo longior, profunde bifidus. *Stigmata* simplicia.

PERICARPIUM. BACCA magnitudine Piperis nigri, globoso-depressa, subumbilicata, laevis, calyce cincta, bi- tri- sive tetrasperma.

SEMINA ovata, extus convexa, intus compresso-plana. *Testa* subcrustacea.

Differt ab Aegiphila villosa foliis majoribus, acuminatis, basi attenuatis, subtus non nisi oculo armato villosis, tomento ramorum albidiore, subtiliore nec villis distinctis, superne in ramis fere sericeo, corymbis tantum axillaribus, floribus pluribus dimidio minoribus.

AEGIPHILA VILLOSA, corymbis axillaribus terminalibusque, foliis elliptico-lanceolatis subtus pedunculis calycibusque villosis incanis.

Manabea villosa: foliis ovatis, subtus incanis; floribus virescentibus, glomeratis. AUBL. fl. Gu. pag. 62. tab. 23.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

RAMI tetragoni, incano-tomentosi: *ramuli* oppositi, villosi, sordide cinerei.

FOLIA petiolata, opposita, tri-quadripollicaria, lato-lanceolata, utrinque obtusa, integerrima, supra glabra excepta costa: subtus villosa, mollia, canescentia, venosa. *Petioli* vix unguiculares.

CORYMBI axillares oppositi, terminales terni, bis vel ter dichotomi, fastigiati. *Pedunculi*, uti pedicelli et calyces, villosi, sordide cinerei.

COROLLA glabra.

Stylus corolla duplo longior.

CISSUS.

CISSUS MICROCARPON foliis ternatis oblongis serratis glabris membranaceis.

Vitis trifolia, uva corymbosa, acinis minoribus rotundis. PLUM. Cat. pag. 18. Icones tab. 259. fig. 4.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.* ħ

RAMI angulati, glabri.

FOLIA petiolata, ternata. *Foliola* lateralia sessilia, bipollicaria, lanceolata, elliptica, obtusiuscula, mucrone brevi terminata: intermedium petiolatum, subtripollicare, ellipticum, interdum utrinque attenuatum, lateralibus duplo latius. Omnia serrata, serraturae distantes mucronatae, glaberrima, venosa: nervi & venae subtus rufescentes.

Petiolus sesquipollicaris, utrinque membrana marginatus.

Cirrhus oppositifolius.

CYMA pedunculata, axillaris, quadriradiata, basi foliola plura minuta, subciliata: *radii* inaequales, unguiculares, divaricati, pilis raris adspersi, bis bifidi. *Pedicelli* ultimi undecim vel tredecim, breves.

Flores minuti, dichotomiæ pedicellati.

CALYX margo brevis, subquadrilobus.

Petala quatuor, oblonga.

Stamina quatuor, longitudine corollae, nectario inserta.

Germen ovatum, glabrum, basi margine nectarifero cinctum. *Stylus* longitudine corollae.

BACCA parva, oblonga, obtusa.

Rami quidem angulati, at non e membrana decurrente, ut in Ciſſo trifoliato, nec folia hirsuta subdentata.

TOURNEFORTIA.

TOURNEFORTIA SERICEA foliis ovato-lanceolatis subtus tomentosis sericeis, spicis lateralibus terminalibusque dichotomo-paniculatis.

Frutex MARCGRAV. hiſt. pag. 78. fide herbarii *Marcgravii*.

Habitat in Montserrat. *Ryan* ♄.

Facies Tournefortiae volubilis. *Rami* tenues, teretes, inferne glabri, superne villoso-cinerei.

FOLIA petiolata, alterna, sesquipollicaria, parum atteñuata, acuta, integerrima: supra simpliciter venosa, glabra, subtus villoso-subargentea, venis parum ramosioribus.

PEDUNCULI laterales et terminales, dichotome ramosi, flexuosi, villosi, cinerei, ramis patentibus. *Flores* parvi, distincti, alterni.

COROLLA extus villosa: *laciniis* setaceis.

CONVOLVULUS.

CONVOLVULUS FERRUGINEUS ferrugineo-tomentosus, foliis cordato-ovatis acutis, pedunculis axillaribus quadrifloris.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

CAULIS fruticosus, volubilis? teres, uti tota planta tectus tomento ferrugineo mollissimo.

Folia petiolata, alterna, pollicaria, integra, acuta, avenia, supra leviter lineata, subtus subnervosa.

Petioli longitudine foliorum.

Pedunculi axillares, solitarii, longitudine petioli: *pedicelli* quatuor, breves, uniflori.

Calycis *foliola* tria exteriora cordata, acuminata: duo interiora breviora, lanceolata.

Corolla unguicularis, coerulea.

Stigma incrassatum.

CONVOLVULUS AUTOSAEFOLIUS foliis oblongo-lanceolatis subhastatisque, pedunculis elongatis unifloris, caule repente.

Convolvulo marinus catharticus foliis acetosae, flore niveo Plum. Am. pag. 91. tab. 105.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

Caulis angulatus, glaber, apice leviter pubescens, ad singulum folium dente dilatatus, e cujus axillo petiolus.

Folia petiolata, alterna, bipollicaria vel ultra, interdum unguem lata et undique ejusdem latitudinis, interdum latiora, saepe basi acutiora quam apice, interdum basin versus sensim dilatato-subhastata, apice obtusa, non raro emarginata, glaberrima, supra avenia nervosa, subtus venosa.

Petioli folio parum breviores.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, quinque- vel sexpollicares: in medio *Bracteae* duae, alternae, subulatae.

Calycis *foliola* oblonga, glabra.

Stigma capitatum.

Specie differt omnino a Balel Lorti Malab. sub nomine Convolvuli repentis in Symb. bot. p. 1. pag. 17. descripto.

CONVOLVULUS PROLIFERUS foliis linearibus subtus sericeis, capitulis terminalibus inque dichotomiis, bracteis ovatis extus hirsutissimis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Caulis erectus? *Rami* filiformes, inferne glabri, superne tomentosi, apice bifidi cum capitulo sessili in dichotomia.

Folia sessilia, alterna, superiora remota, inferiora approximata, pollicaria, linearia, attenuata, supra glabra, subtus e pilis mollibus adpressis sericea.

Capitulum terminale, magnitudine fere nucis Coryli, convexiusculum. *Involucrum* ovatae, foliis triplo latiores, unguiculares, acuminatae, extus hirsutissimae, subcoriaceae, intus glabrae. *Flores* solitarii, sessiles in axilla bracteae.

Facies Convolvuli Cantabrici.

CEPHALEIS.

CEPHALEIS TOMENTOSA, hirsuta, capitulis pedunculatis axillaribus terminalibusque, involucris diphyllis cordatis acuminatis.

Tapeinosia tomentosa: floribus capitatis, involucro amplo purpureo-violaceo obvolutis. AUBL. H. Gu. pag. 160. tab. 61.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Rami obscure tetragoni, infeme glabri, superne e pilis reflexis undide grisco-flavescentibus hirsuti, uti et pedunculi et petioli.

Folia petiolata, opposita, spithamaea, lanceolato-elliptica, acuminata, basi per petiolum parum decurrentia, nervi transversi arcuati, in in congeneribus, utrinque pilis frequentibus flavescentibus distantibus, praecrum in costa et nervis copiosissimis adspersa, simpliciter tenuissime venosa, supra subaveniii, subtus inter nervos transversim.

Petiolus unguicularis vel ultra. *Stipula* hirsuta, tubulosa: tubo vix semiunguiculari, ad singulum latus petioli acuminibus duobus subulatis erectis unguicularibus coronata.

Pedunculi axillares et terminales, erecti, adultiores tri- sive quadripollicares.

Flores in Capitulo magnitudine nucis juglandis aggregati. *Involucrum* diphyllum: foliolis ovato-cordatis, latitudine et longitudine aequalibus, pollicaribus, utrinque pilis rarioribus hirsutis, purpureis, nervoso-venosis.

Stylus oblongum, basin versus parum angustatum, extus sulcatum, bipartibile.

Palleae membranaceae, extus hirsutissimae, intus glabriores; extimae ovatae acutae: interiores oblongae, subacuminatae.

Genus Cephaleis a Psychotriae vix nisi modo florendi differt.

CEPHALEIS PUNICEA, glaberrima, capitulis terminalibus erectis, involucris diphyllis.

Habitat in Jamaica. *von Rohr.*

Ramis

Rami pallide purpurascentes, teretiusculi, glaberrimi.

Folia opposita, petiolata, lanceolato-elliptica, tri- ad quinquepollicaria, utrinque nitida, basi apiceque attenuata, acuta, integerrima, supra subavenia: subtus tenuiter venosa, costae flavescentes.

Petiolus unguicularis vel parum ultra, basi villis aliquot crispis demum evanescentibus. *Stipulae* tubulosae, breves, integrae.

Pedunculus terminalis inter duos ramulos, quadripollicaris, strictus, ramulis lateralibus parum crassior, angulatus, purpureus.

Capitulum magnitudine nucis juglandis. *Involucrum* cordato-ovatum, magnum, puniceum, vix venosum.

Semen ut in antecedente.

Paleae exteriores majores, oblongae.

SOLANUM.

SOLANUM longiflorum, inerme, foliis ellipticis integris attenuatis subtus subtomentosis, racemis lateralibus, corollis quinquepartitis.

Habitat in Cajenna. *v. Rohr.* ♄

Frutex. *Rami* teretes, inferne glabri, superne e villis minutis stellatis sordide cinerei. Folia petiolata, alterna, remota, tri- vel quadripollicaria, basi obtusa subaequalia, apice attenuata, acuta, integra, integerrima: supra e villis stellatis, oculo armato videndis, scabriuscula, adultiora fere glabra, obscure venosa: subtus villosiora, sordide tomentosa, praesertim juniora.

Petioli semipollicares, incani.

Pedunculi superne, laterales, primum breves recurvati, dein sensim longiores et rectiores. *Pedicelli* alterni, octo ad decem, unguiculares.

Calyx tomentoso-incanus: *dentibus* quinque, subulatis, corolla quadruplo brevioribus.

Corolla fere pollicaris, profunde quinquefida: *laciniis* lineari-lanceolatis, attenuatis, obtusis, extus tomentosis, intus glabris.

An a Solano subinermi Jacqu. et S. salvifolio la Mark. Tab. Enc. pag. 14. diversum?

SOLANUM pauciflorum, foliis ovatis integerrimis ramis calycibusque decemdentatis tomentosis, pedunculis axillaribus geminis unifloris.

Habitat in Martinique.

Rami

Rami herbacei, teretes, inferne villosi, superne, uti ramuli axillares, ferrugineo-flavescente tomentosi.

Folia petiolata, remotissima, bi- s. tripollicaria, in ramulis geminata, altero multoties minore, oblonga vel ovata, parum attenuata, acuta, adultiora supra glabra, avenia, subtus pallidiora, venosa: tenella tomentosa, tomento ferrugineo.

Petioli unguiculares, ferrugineo-tomentosi.

Pedunculi axillares, gemini, alter semiunguicularis prius florens, alter brevior.

Flores cernui, ferrugineo-tomentosi.

Calyx campanulatus, brevis, truncatus, decemdentatus: *dentibus* linearibus, calyce ipso parum brevioribus.

Corolla glabra, longitudine pedunculi.

SOLANUM geminatum foliis ovatis integerrimis calycibusque decemdentatis glabris, pedunculis axillaribus geminis unifloris, caule scandente.

Habitat Cajennae. *von Rohr.* ♄

Frutex inermis.

Rami teretes, glabri, superne oculo armato leviter pulverulenti.

Folia petiolata, alterna, bipollicaria, ovata, attenuata, acuta, integerrima, utrinque glabra, obscure venosa.

Petioli semipollicares, glabri.

Pedunculi axillares, primum quatuor, duo dein cum ramulo ulterius extrescentes, filiformes, alter longior primum florens, longitudine petioli, alter brevior.

Calyx glaber, subcampanulatus, corolla triplo brevior, decemdentatus: *dentibus* lineari-subulatis, aequalibus.

Corolla unguicularis, glabra.

Accedit cum insequente ad Solanum fugax. *Jacquini* collect. 4. pag. 123.

SOLANUM retrofractum, foliis ovatis glabris, ramulis axillaribus retrofractis, umbellis axillaribus terminalibusque sessilibus, calycibus truncatis.

Habitat in America meridionali ♄.

Caulis volubilis? fruticosus, inermis. *Rami* teretes, glabri, flexuosi, laeves: *Ramuli* axillares, alterni, retrofracti, pollicares, rigidi, apice floriferi et foliosi, interdum bifurcati.

Folia petiolata, alterna, ovata, attenuata, integerrima, glabra, simpliciter obscure venosa, sesquipollicaria, duo saepe in apice ramulorum, altero minore.

Petiolus ramulo dimidio brevior.

Pedunculi filiformes, pollicares vel parum minores, aggregati, axillares quatuor, terminales ramulorum quinque vel sex, uniflori.

Calyx truncatus, integer, glaber.

Corolla quinquefida, calyce triplo longior: *laciniis* ovatis.

Affine S. geminato, differt ramulis validioribus retrofractis, pedunculis pluribus, calycibus edentulis, floribus minoribus.

SOLANUM SCABRUM, foliis ternis ellipticis subsinuatis piloso-scabris, racemis lateralibus, caule foliis calycibusque aculeatis.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.* ħ

Frutex. *Rami* teretes, flexuosi, e pilis stellatis obsoletis subscabri, armati aculeis recurvis, compressis, flavis, glabris, brevibus.

Folia petiolata, terna simul ad idem latus rami, unicum quadri- vel quinquepollicare, alterum tripollicare, tertium interdum vix pollicare, majora pollices duos lata, elliptica, basi acuta, apice obtusiuscula, lateribus utrinque bi- sive triangulato-subsinuata, utrinque stellato-pilosa, scabra, e stellulis confertioribus subtus pallidiora, costa utrinque aculeata: aculei parvi, facie ramorum. Rudimentum ramuli in axillis, foliis sordide flavescenti tomentosis.

Petiolus unguicularis vel pollicaris, aculeatus.

Racemi laterales, solitarii, bipollicares, peracta florescentia florum inferiorum, retroflexi. *Pedicelli* unguiculares, filiformes, interdum aculeo aciculari armati, fructiferi, sursum curvati, uti pedunculus et calyces pilis stellatis tecti.

Calyx brevis, aculeatus, aculeis acicularibus, frequentibus. *Laciniae* lanceolatae, acuminatae: acumine patulo.

Corolla quinquepartita. *Laciniae* lineares, extus tomentoso-incanae.

Baccae parvae, glabrae.

Quantum e differentia conjicere licet, affine videtur Solano scandenti *Swartzii* prodr. pag. 47. quod a Solano scandente *Linnaei* diversum est.

SOLANUM FLEXUOSUM, foliis geminatis elliptico-lanceolatis scabriusculis integris subtus petiolisque aculeatis, floribus tetrandris.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

Frutex. *Rami* teretes, flexuosi, per intervalla bicicatricata, inferne inermes glabri, superne villosiusculi, canescentes, armati aculeis minutis raris.

Folia

Folia petiolata, gemina, quinque- vel septempollicaria, altero dimidio minore, elliptico-lanceolata, integra, integerrima, basi apiceque acuta, altero latere baseos parum angustiora, utrinque e pilis obsoletis rarioribus stellatis scabriuscula, supra nitidiuscula inermia, subtus pallidiora costaque inferne aculeata: *aculei* plerumque per paria parum approximati, interdum solitarii distantes, parvi, flavescentes, glabri, recurvi.

Petioli pollicares, alter parum brevior, villis raris adspersi, subtus aculeati: *aculei* situ et figura ut in foliis, frequentes.

Pedunculi laterales, filiformes, unguiculares, cinerascentes. *Pedicelli* umbellati (an demum racemosi?) pedunculo parum longiores, inermes.

Calyx inermis, pulverulento-villosiusculus, cinerascens: *laciniis* subulatis.

Corolla profunde quadrifida: *laciniis* linearibus, villosiusculis.

Filamenta quatuor. *Antherae* lineares, longitudine fere corollae.

Valde affine Sol. obscuro Symb. bot. 2. pag. 41. cui quoque folia geminata, differt ramis rigidioribus flexuosis, foliis majoribus magis attenuatis, aculeis frequentioribus in petiolis, staminibus quatuor. Nec multum distat a Solano lanceaefolio *Jacq.* Coll. 2. pag. 286. diversum tamen ut videtur ramis flexuosis, parcius aculeatis, staminibus quatuor.

SOLANUM igneum *β parvifolium.*

Fruticulus virgatus. Caulis teres, vix crassitie pennae columbinae, glaber.

Rami alterni, patentes, superne oculo armato stellato-villosi.

Aculei sparsi in caule, ramis et costa foliorum utrinque, fere unguiculares, basi parum latiores, teretes, rigidi, purpurascentes, nitidi.

Folia breviter petiolata, pollicaria vel sesquipollicaria, integerrima, basi parum revoluta et angustiora, obtusiuscula, utrinque oculo armato villis stellatis adspersa, scabra, avenia: supra viridia, adultiora fere nuda, secundum nervos sublineata: subtus nervis exstantibus, e villis confertioribus pallidiora; tenella subtomentosa.

Racemi laterales et terminales, simplices. *Pedunculus* filiformis, laxus, bipollicaris vel parum ultra. *Pedicelli* remoti, vix pollicares, sursum incrassati: fructiferi reflexi.

Corolla quinquepartita: *laciniis* angustis, extus villosis.

Baccae glabrae, laeves, nitidae, magnitudine seminis Coriandri.

Specimina hujus ex insula St. Crucis misit Rector *West.* Solano igneo tam affine, ut quamvis primo intuitu diversum apparet, difficile tamen dictu accuratius in-

spectum, num specie differt nec ne. Ideoque solummodo uti varietatem S. ignei hic descripsi, aliis, qui occasionem habent ulterius in loco natali examinare et cum S. igneo conferre, relinquens dijudicare, num nomen speciei mereatur vel modo varietatis. Differre videtur praecipue: caule ramisque tenerioribus: foliis multoties minoribus, minus attenuatis: aculeis duplo vel triplo longioribus.

SOLANUM POLYACANTHOS, aculeatissimum, foliis lineari-lanceolatis subrepandis subsessilibus obtusis, pedunculis axillaribus unifloris, aculeis acicularibus.

Solanum frutescens, spinosissima, foliis angustis et crispis. PLUM. Jc. pag. 218. tab. 224. fig. 1.

Solanum polyacanthos frutescens, aculeatissimum; foliis lineari-lanceolatis, subdentatis utrinque aculeatis: aculeis rectis, acicularibus. LA MARK Tabl. Enc. &c. Tom. 2. pag. 23.

Specimen mecum communicavit *Jussieu.* ♄

CAULIS fruticosus, teres, crassitie fere pennae columbinae, villoso-subtomentosus: villis stellatis flavescentibus, uti rami costa foliorum utrinque adspersus aculeis copiosis, flavescentibus, apice fuscis, glabris, rectis, semiunguicularibus. *Rami* alterni, structura caulis.

FOLIA vix petiolata, sesquipollicaria, angusta, obtusa, basi aequalia, subrepanda vel integra, utrinque villis stellatis minutis adspersa, scabriuscula, viridia.

PEDUNCULI axillares, solitarii, brevissimi, uniflori.

CALYX stellato-villosus, inermis.

COROLLAE *laciniae* lineares, extus villosae.

STAMINA quinque, petalis parum breviora.

BACCAE globosae, glabrae, nitidae, magnitudine seminis Coriandri.

CESTRUM.

CESTRUM SCANDENS, filamentis edentulis, foliis ovatis attenuatis glabris, racemis axillaribus subcompositis, ramis scandentibus.

Habitat prope St. Martham. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, glabri.

FOLIA petiolata, alterna, remota, bipollicaria, sursum versus sensim minora, ovata, attenuata, acutiuscula, integerrima, tenera, glabra, obscure venosa.

Petioli unguiculares. *Stipulae* nullae.

PEDUN-

Pedunculi axillares, solitarii, palmares, superiores breviores, tenues, pubescentes. *Pedicelli* filiformes, pollicares, sensim breviores, remoti, glabri: *inferiores* triflori: *floribus* pedicellatis. *Bractea* ad basin calycis, parva, linearis.

Calyx oblongus, tubo corollae amplior et quintuplo brevior, quinquedentatus: *dentibus* minutis.

Corolla sesquipollicaris. *Tubus* filiformis, versus faucem vix incrassatus. *Limbi laciniae* subulatae, fere unguiculares.

Filamenta quinque brevissima versus faucem tubi, edentula. *Antherae* globosae.

Germen minutum, subglobosum. *Stylus* capillaris, longitudine tubi. *Stigma* dilatatum, obtusissimum.

CESTRUM latifolium, filamentis edentulis, ramis superne foliisque ellipticis subtus pulverulento-subvillosis, racemis axillaribus brevissimis.

Cestrum latifolium racemis brevissimis axillaribus, foliis ovatis glabris petiolisque subtomentosis. La Mark. Tabl. Enc. Tom. 2. pag. 5.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Rami elongati, alterni, teretes, grisei, punctati, pulverulento-villosi, inferne glabriusculi.

Folia petiolata, alterna, quinque- vel sexpollicaria, pollices tres fere lata, elliptica, interdum basi subovata, integerrima, acuta, tenera, nervosa, subavenia, supra glabra, subtus leviter pulverulento-subvillosa, praesertim in costa et nervis.

Petioli sesquipollicares, pulverulento-villosi. *Stipulae* nullae.

Racemi axillares, inferne terni, superne gemini, versus apicem solitarii, quinque- vel octoflori. *Pedunculi communes* petiolo duplo breviores, uti pedicelli, pulverulento-villosi. *Pedicelli* brevissimi, alterni.

Calyx brevissimus, pulverulentus, quinquedentatus.

Corollae *tubus* pollicaris, filiformis, sursum sensim incrassatus. *Limbi laciniae* lanceolatae, acutae.

Filamenta versus faucem tubi, brevissima, edentula. *Antherae* globosae.

Germen subglobosum. *Stylus* capillaris, longitudine tubi corollae. *Stigma* capitatum.

Bacca oblonga, bilocularis.

Semina duo in singulo loculo.

A C. hirto *Swartzii* videtur differre foliis non subcordatis nec subtus hirtis.

JACQUINIA.

JACQUINIA ARBOREA, foliis cuneiformibus, ramis ad ramificationes aequalibus, inferioribus verticillato-quaternis: superioribus dichotomis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI superne tetragoni, glabri, cicatricati.

FOLIA in petiolum brevissimum attenuata, bipollicaria, coriacea, glaberrima, supra laevissima avenia, subtus pallida obscure venosa, punctata, emarginata cum acumine brevissimo.

RACEMI terminales, interdum gemini, bipollicares et ultra, flores circiter quindecim in singulo racemo. *Pedunculi* angulati. *Pedicelli* alterni, unguiculares, sursum sensim incrassati. *Flores* ut in Jacqu. armillari.

A Jacquinia armillari differt tantummodo altitudine et praecipue nodis nullis ad exitum ramorum, coeterum in omnibus reliquis omnino similis. Cum pertenui igitur discrimine differunt, nunquam eas specie diversas, sed potius varietates vel loci, vel aetatis esse credidissem. Teste autem *Ryano*, qui et hanc uti et alteram plusquam centies observavit in loco natali ab infantia usque ad aetatem provectiorem, notae allatae constantissimae sunt, ideoque ex mente observatoris acutissimi omnino specie diversae sunt. In cujus fidem verba ipsius viri Celeb. hic addere non supervacaneum esse duxi.

Differentia specifica Jacquiniae arboreae, difficile eruitur ex speciminibus siccis. Unico tantummodo in loco eam inveni in insula Montserrat ad littus maritimum prope viam New Windward dictam, ubi copiose crescit, trunco erecto quatuor, sex, decem, viginti vel triginti pedes alto, diametro sex- vel octopollicari, in omni autem statu semper absque nodis et racemis copiosissimis. Jacquiniam autem armillarem fruticem humilem, quadri- vel sexpedalem, ramis ad exortum nodosis semper reperi. *Ryan.*

Sic si specie revera differt a Jacquinia armillari, differentia hujus erit:

JACQUINIA ARMILLARIS, foliis cuneiformibus, ramis ad ramificationes nodosis verticillatis.

Jacquinia armillaris: foliis obtusis cum acumine. LIN. Syst. Veget. pag. 229.

LAUGERIA.

LAUGERIA CORIACEA, foliis elliptico-ovatis subcoriaceis utrinque glabris obtusiusculis, spicis bisbifidis, floribus tetrandris.

Habitat

Habitat ad summitates montium in insula Montserrat. *Ryan.* ♄

Arbor humilis. *Rami* superne compresso-tetragoni, glabri, cortice cinerascente, punctati.

Folia petiolata, opposita, bipollicaria et ultra, subcoriacea, elliptico-ovata, integerrima, obtusiuscula, utrinque glaberrima, avenia, obsolete nervosa, subtus pallidiora. *Petiolus* unguicularis, supra canaliculatus, subtus carinatus.

Spicae ex alis superioribus, oppositae, plerumque bisbifidae, rarius bifidae cum spica simplici inferiore, pedunculatae. *Pedunculus communis* erectus, bipollicaris, purpurascens, glaberrimus, compressus, substriatus: *partiales*, tripollicares patentissimi. *Flores* in latere superiore, secundi, sessiles, alterni, distantes, frequentes.

Calyx margo superus, brevis, inaequaliter subquadridentatus.

Corolla monopetala, vix semiunguicularis, tubulosa, glabra, exceptis superne villis aliquot rarioribus oculo armato videndis. Laciniae limbi, quatuor, breves, rotundatae.

Filamenta vix ulla. *Antherae* quatuor, in medio tubi, lineares.

Germen inferum, minutum. *Stylus* longitudine fere tubi corollae. *Stigma* subcapitatum, obtusum.

Drupa oblonga, unguicularis, acumine obtuso terminata. *Putamen* durum, quadriloculare.

LAUGERIA resinosa, foliis lato-lanceolatis glabris subtus glaucis, spicis axillaribus bifidis, ramis apice resinosis.

Habitat in altis montibus insulae Montserrat. *Ryan.* ♄

Arbor octopedalis. *Rami* inferne teretes, glabri, cortice cinereo, cicatricati: superne griseo-pulverulenti, angulati, e stipulis persistentibus infra folia annulati, apice valde resinosi.

Folia versus apices ramorum, petiolata, conferta, opposita, lanceolata, bi- sive tripollicaria, pollicem lata, interdum parum angustiora, acuminata, basi apiceque acuta, integerrima, utrinque glabra, simpliciter subtilissime venosa, supra nitida, subtus glauca: suprema maxime viscosa.

Petioli brevissimi. *Stipulae* margo membranaceus, subinaequalis, subciliatus, ramum cingens.

Pedunculi axillares, solitarii, longitudine fere foliorum, compressi, sursum versus sensim parum latiores, stricti, purpurascentes, bifidi: *rami* divaricati, vix pollicares,

subtus convexiusculi. *Flores* sessiles in latere superiore ramorum pedunculi, conferti, basi resinosi.

CALYX margo superus, integerrimus, oculo armato ciliatus.

COROLLA hypocrateriformis, unguicularis, glabra, viscosa. *Tubus* superne vix amplior. *Limbi laciniae* oblongae, plerumque quinque, rarissime quatuor.

STAMINA. *Filamenta* fere nulla. *Antherae* superne in tubo, plerumque quinque, rarissime quatuor, lineares, tubo aequales.

Germen subrotundum, glabrum. *Stylus* longitudine tubi corollae. *Stigma* capitatum, oculo armato subtruncatum.

DRUPA oblonga, umbilicata, magnitudine pisi. *Putamen* osseum, oblongum, quadriloculare: *loculis* monospermis.

Variant species Laugeriae quoad numerum loculamentorum putaminis, saepe maturitate unum vel alterum quoque evanescit. Genus a Guettardis parum diversum et forte non absonum foret cum eo conjungere.

Pagameam *Aublaetii* genere a Laugeria non differre contendit *Ryan.*

BUMELIA.

BUMELIA NERVOSA, foliis alternis ellipticis subtus discoloribus, floribus aggregatis lateralibus axillaribusque tomentosis pedunculatis.

Chrysophyllum cainito AUBL. fl. Guian. pag. 234. minime *Linnaei.*

Chrysophyllum macrophyllum, foliis obovatis; subtus parallele nervosis glaucis vix tomentosis. LA MARK. Tabl. Enc. Tom. 2. pag. 44.

Habitat Cajennae, incolis Jaune d'oeuf dicta. *von Rohr.* ħ

RAMI inferne teretes, cicatricati, glabri, cortice cinereo; superne subangulati, e tomento tenuissimo ferruginei.

FOLIA versus apices ramorum, petiolata, sparsa, distantia, quadri- vel quinquepollicaria, elliptica, basi acuta, apice obtusiuscula, integerrima, glabra, nervosa; supra nitida, tenuissime venosa, juniora secundum nervos lineata, subtus glaucorufescentia, vix tamen villosa, avenia, nervis exstantibus coloratioribus.

Petioli pollicares, ferruginei e tomento tenuissimo, oculo armato videndo.

Pedunculi axillares et infrafoliacei, aggregati, angulati, ferruginei, petiolo dimidio breviores.

CALYX pentaphyllus: *foliolis* ovatis, acutis, rufescente-tomentosis, longitudine corollae.

COROLLA

COROLLA monopetala, quinquefida: *laciniis* ovatis, acutis.

Nectarium squama subulata inter singulas lacinias corollae.

STAMINA. *Filamenta* quinque brevissima, corollae inserta. *Antherae* oblongae, acutae. *Germen* superum, tomentosum, in *Stylum* longitudine corollae attenuatum. *Stigma* simplex, obtusiusculum.

Plantam descriptam cum Chrysophyllo cainito, nondum in Cajenna introducto, confundit *Aublaetius* ex observatione *von Rohrii*, ideoque non mirum, quod fructum Chrysoph. macouci gratiorem cainito, omnium consensu sapidissimum, invenerit *Aublaetius*.

PILOCARPUS.

CHARACTER ESSENTIALIS. CALYX pentaphyllus. COROLLA pentapetala. FILAMENTA sub germine inserta. COCCULI duo ad quinque, inferne coaliti, elastici.

PILOCARPUS RACEMOSUS.

Euonymus latifolius, racemosus, fructu pentagono, atropurpureo. PLUM. spec. pag. 18. Icones pag. 119. tab. 127.

Habitat in altis montibus ad margines clivosos in insula Montserrat. *Ryan.* ħ

FRUTEX humilis. *Rami* penduli, teretes, glabri, cortice cinereo: *ramuli* alterni, fusco-purpurascentes, breves.

FOLIA in ramulis, petiolata, approximata, alterna, ultima duo subopposita, bi- sive tripollicaria, elliptica, obtusissima, plerumque emarginata, basi acutiora, integerrima, membranacea, glabra, venosa, utrinque minutissime punctata.

Petioli unguiculares, glabri, supra plani, subtus convexi, fusco-purpurascentes. *Stipulae* nullae.

RACEMI ex apice ramorum cum ramulo ad latus ulterius excrescente, solitarii, pedales et ultra. *Pedunculus* rectus, teres, glaber, fusco-purpurascens. *Pedicelli* sparsi, subpollicares, patentissimi, uniflori. *Bracteae* duae supra medium pedicelli, minutissimae, ovatae, alternae, remotae. *Flores* laete purpurei.

CALYX. *Perianthium* inferum, minimum, pentaphyllum: *foliolis* ovatis, rotundatis.

COROLLA pentapetala. *Petala* plana, parva, ovata, mucrone minuto terminata: supra linea longitudinali parum elevata, ab apice ducta, versus medium petali bifurcata, divisuris divaricatis ad margines petali excurrentibus.

STAMINA. *Filamenta* quinque, sub germine inserta, erecta, petalis parum breviora. *Antherae* parvae, subcordatae, erectae, saturate deauratae, splendidissimae. *Ryan.*

PISTILLUM. *Germen* superum, globoso-depressum, glabrum, superne versus stylum lineis quinque insculptum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* subsessile, acutum.

PERICARPIUM. Capsula supera, composita e cocculis quinque, duobus vel tribus, raro quatuor interdum abortientibus, receptaculo angulato, lignoso, brevi a basi ad medium affixis, superne liberis. *Cocculi* subsemiorbiculati, basi gibbosiores, dorso et lateribus convexi, margine interiore acutiores: substantia exteriori subcarnosa, interiori coriacea, primum punctis impressis adspersi, maturi longitudinaliter arcuatim sulcati, sutura superne elastice dehiscentes. *Lamina interna* cartilaginea, formata in cocculum ovatum, laevem, dorso acute carinatum, lateribus convexum, basi obtusissimum, apice margineque dorsali et interiori compressiusculum; maturitate introrsum apiceque elastice dehiscentem, basi cuculiformem, superne in cruribus duobus divaricatis divisum.

RECEPTACULUM nullum.

SEMINA solitaria, figura cocculi interioris, nigra, laevissima, arillata. *Arillus* membranaceus, cordatus, acutus, extus carinatus, aperturam ventralem triangularem cocculi interioris claudens. *Umbilicus* externus ventralis, ovatus, acutus, fungosus. *Testa* membranacea, tenuis, simplex.

EMBRYO figura semini conformi, inversus, albus. *Cotyledones* carnosae, extus convexae, intus planae, ad radiculae sedem emarginatae. *Radicula* exigua, intra cotyledones retracta.

RICHERIA.

CHARACTER ESSENTIALIS. CAPSULA corticata, 6 valvis, trilocularis. SEMINA solitaria sub apice columellae pendula, baccata. STYLUS trifidus.

RICHERIA GRANDIS.

Habitat in Montserrat in monte Sulphuris. *Ryan.* ♄

RAMI teretes, crassitie pennae anserinae, rigidi, apice angulati, cicatricati, glabri. FOLIA superne in ramis, alterna, saepe sex- vel septempollicaria, petiolata, elliptica vel obovata, basi attenuata, acuta, apice plerumque obtusa, rarius acutiuscula, integerrima, subcoriacea, utrinque glabra, supra subavenia, subtus venosa, pallidiora. *Petiolus* unguicularis, subtus convexus, supra canaliculatus.

SPICAE

Spicae axillares, solitariae, folio triplo breviores, rigidae, plerumque simplices, rarius ad basin ramo patente, tenellae imbricatae. *Flores* frequentes, sparsi, sessiles. *Bractea* concava, longitudine fere calycis, ovata, ad basin singuli flosculi.

Pedunculus angulatus, ope lentis villosus.

Flos masculus.

Calyx Perianthium monophyllum, persistens, inferum, quadrifidum vel quinquefidum: *Laciniae* ovatae, acutae, subtomentosae.

Corolla. *Petala* quatuor vel quinque, subrotunda, longitudine calycis.

Nectarium glandulae quatuor vel quinque ad basin germinis.

Pistillum. *Germen* conicum, villosum. *Stylus* nullus. *Stigma* nullum.

Stamina. *Filamenta* quatuor vel quinque, inter glandulas nectarii, erecta, calyce longiora. Antherae oblongae, erectae.

Flos foemineus.

Calyx ut in mare.

Corolla ut in mare.

Nectarium margo basin germinis cingens.

Stamina nulla.

Pistillum. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* brevissimus. *Stigmata* tria, revoluta, supra canaliculata.

Pericarpium. Capsula corticata, subovata, magnitudine nucis Coryli, laevis, glabra, apice mucronibus tribus brevibus e rudimentis stigmatum: suturae sex longitudinales, obscurae, trilocularis, sexvalvis. *Valvulae* a basi dehiscentes; *exteriores* suberosae: *interiores* subcartilagineae, flexiles. *Dissepimenta* membranacea, tenuia. *Columella* lignosa, trigona, sursum versus sensim parum crassior, apice curvata, post dehiscentiam valvularum e residuo dissepimentorum adhaerente inaequaliter trialata.

Semen in singulo loculo unicum, baccatum, sub apice columellae pendulum funiculo umbilicali brevi, inversum, oblongum, loculo triplo brevius, latere interiore parum planiusculum. Semen ipsum obovatum, convexum. *Integumentum* quadruplex: primum pellicula subcartilaginea, diaphana: secundum pulposum: tertium testa crustacea: quartum membrana tenuis.

Albumen figura testae, albicans.

Embryo magnitudine albuminis. *Radicula* supera, teretiuscula. *Cotyledones* cordato-subrotundae, foliaceae, pallide flavicantes.

Merita de re botanica *Pet. Richerii de Belleval*, quondam Profess. bot. Monspeliensis, certe plura sunt quam multorum aliorum, quorum nomina in fronte gerunt varia genera plantarum. Laudes ejus e scriptis *Tournefortii*, *Linnaei*, *Adansonii*, *Villarsii*, *Brousonetii* et aliorum satis notae sunt. Nomini igitur et memoriae viri de scientia bene meriti novum genus dicavi.

In aliis speciminibus spiritu vini asservatis flores tantum masculos inveni, in aliis vero tantum foemineos, inventor vero monet se quoque vidisse flores hermaphroditos, ideoque forte polygama. Pulpam intra valvulas nunquam observavi, dissepimenta vero et semina duo ab insectis saepe destructa inveni, indeque capsula interdum unilocularis et monosperma. Quoad reliquas partes fructificationis, teste *Ryanio*, quam maxime variat, ideoque haud superfluum credidi addere observata ipsius inventoris in loco natali instituta mecumque communicata.

PERIANTHIUM triphyllum, minimum.

COROLLA monopetala: *laciniis* quinque, concavis.

Filamenta plerumque quinque, non raro quatuor, interdum sex, filiformia, longitudine corollae. *Antherae* didymae.

Germen subrotundum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* bicapitatum.

BACCA capsularis, vel si velis, capsula baccata, duplex, monosperma, in sex partes a basi ad apicem dehiscens, capsula interiore adhuc clausa, quae postea pariter dehiscit, intus pulposa.

SEMEN unicum, subrotundum, pedicellatum, pulpa molli involutum.

ARBOR ingens, habitu Mammeae americanae.

FOLIA coriacea, subovata, plerumque terminalia.

SPICAE rameae et terminales.

Unico in loco hanc arborem rarissimam vidi, ubi quindecim vel viginti simul vallem exiguam inter altos montes replebant.

GOMPHRENA.

GOMPHRENA VERMICULARIS caulibus repentibus, foliis subteretibus carnosis, capitulis solitariis terminalibus oblongis. SWARTZ observat. botan. pag. 101.

Perexxil. MARCGR. hist. pl. pag. 14. fide herbar. *Marcgravii.*

Caaoponga 1. PISON de Ind. utr. re naturali pag. 243.

PANAX.

PANAX.

PANAX CHRYSOPHYLLUM, foliis septenatis novemnatisque: foliolis lanceolatis integerrimis subtus tomentosis, umbellis paniculatis.

Jacaranda arbor, polyphylla, maxime procera. BARRER. Franc. Equin. 61.

Panax morototoni: foliis digitatis, foliolis lanceolatis undulatis, subtus ferrugineis; floribus paniculatis. AUBL. fl. Guian. pag. 949. tab. 360.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

ARBOR excelsa. *Rami* apice crassitie pollicis, uti folia subtus, petioli juniores, rami paniculae, calyces et petala extus, tecti tomento aureo subtilissimo.

FOLIA petiolata, alterna, composita. *Foliola* umbellata, petiolata, septem vel novem; juniora tri- ad septempollicaria, lateralia sensim minora, lanceolata, utrinque attenuata, praesertim extrorsum, acuta, plana, integerrima, firma, obscure venosa, subtus aureo-nitida ut in Chrysophyllo cainito, supra glabra laevia: adultiora pedalia, basi ovata, nervosa, obscure venosa, subcoriacea, laevia, subtus versus marginem glaucescentia, margine subinaequali subrepanda, valde attenuata.

Petioli teretes. *Communes* foliorum adultiorum pedales, basi dilatati: *partiales* tripollicares, uti communes glabri: foliorum juniorum breviores.

PANICULA terminalis, magna, diffusa. *Rami* duo infimi oppositi, reliqui uti *ramuli* et *pedunculi umbellarum* alterni, teretes. *Bracteae* concavae: ramorum infimae semipollicares, trifidae: laciniae laterales breviores, lanceolatae, intermedia subulata, elongata: ramorum insequentium ovatae, parvae, subtridentatae: ramulorum minutae, ovatae, acutae, integrae.

UMBELLAE pedunculatae: *radii* plerumque octo, rarius novem ad tredecim, semiunguiculares, patentissimi. *Involucrum: squamula* ad basin singuli radii, minuta, ovata. *Flores* parvi.

CALYX margo superus, brevissimus, obscure quinquedentatus.

COROLLA pentapetala. *Petala* ovata, acuta, margine parum crassiora, supra in medio linea longitudinali elevata, apice patula.

Nectarium margo brevissimus, inter petala et basin stylorum, subcarnosus.

Filamenta vix ulla nisi processus brevissimus e margine nectarii. *Antherae* ovatae, petalis dimidio breviores, dorso convexae, intus curvatae, apice ope lentis mucrone brevi terminatae.

Germen subrotundum, basi compressiusculum. *Styli* duo, rarissime terni, lineares crassiusculi, erecti, conniventes, longitudine antherarum, persistentes. *Stigma* acutum.

Bacca compressa, subrotunda, latior quam longa, basi vix cordata, umbilicata, bistylata, stylis reflexis, plerumque bilocularis, rarissime trilocularis, triangularis.

Semen unicum in singulo loculo axi adhaerens, compressum, subsemiorbiculatum. *Testa* cartilaginea.

TRADESCANTIA.

TRADESCANTIA divaricata, caule dichotomo, foliis ovato-lanceolatis glabris, vaginis villosis, floribus paniculatis, filamentis glabris.

Commelina hexandra: floribus racemosis coeruleis. Aubl. fl. Guian. pag. 35. tab. 12.

Ex insula Trinitatis. *Ryan.*

Caulis dichotome-ramosus. *Rami* teretes, divaricati, inferne infracti, articulati: *articuli* bipollicares et ultra, sursum sensim breviores, inferne glabri, superne parum villosi, vaginati. *Vaginae* tubulosae, articulo dimidio breviores, membranaceae, aetate aridae, ore pilis longioribus ciliatae, lateribus alternantibus villosiores.

Folia e margine vaginarum, alterna, subpetiolata, bipollicaria vel ultra, inferiora parum minora, ovato-lanceolata, attenuata, acuta, integerrima, glabra, plana, subtilissime nervosa: nervi circiter quindecim.

Panicula terminalis, erecta, bipollicaris. *Pedicelli* breves, tri- vel quadriflori, reflexi, villosi. *Bracteae* lanceolatae, membranaceae, villosae, longitudine pedicellorum.

Calyx inferus, triphyllus: *foliola* persistentia, patentia, oblonga, obtusa, oculo armato parum villosa, extus convexa, intus concava, semiunguicularia, aequalia.

Corolla. *Petala* tria, aequalia, ovata, acuta, calyce longiora, patentia, margine plana, coerulea.

Nectarium nullum.

Stamina. *Filamenta* sex, basi petalorum inserta, brevia, glaberrima. *Antherae* erectae, subulatae, filamentis duplo longiores, corolla breviores.

Pistillum. *Germen* superum, glabrum, subgloboso-triangulare: angulis obtusis. *Stylus* unicus, persistens, erectus, antheris parum brevior. *Stigma* simplex obtusum.

Capsula rotundato-trigona, trivalvis, trilocularis, piso duplo major, extus muricata: tuberculis parvis, sparsis. *Valvulae* membranaceae, oblongae, mucronatae, dorso in regione dissepimento respondente longitudinaliter depressae. *Dissepimentum* ventrale.

Receptaculum nullum nisi margo incrasssatus dissepimentorum centralis, cui semina utrinque affixa.

Semina duo in singulo loculamento, rarissime tria in uno, arillata, omnia adolescentia, ovato-subtriangularia, ubi se invicem contingunt plana, altera extremitate obtusa, dorso convexa, ventre utrinque compresso-plana. *Arillus* semen totum laxe tegens, membranaceo-subpulposus, in semine sicco collabens formam inaequalitatesque ipsius seminis assumens, facili tamen negotio ab illo sese separans. *Semen ipsum* oblongum, plano-convexum, ferrugineum, siccum, fuscum, parte ventrali planiusculum, lateribus utrinque transversim rugosum, in medio foveola cum papillula, cui adhaeret arillus; dorso convexum in medio foveola umbiliciformis, lateribus rugosum ut in ventre.

Embryo ut in Commelina communi et Africana.

Differt igitur a Commelinis et Tradescantiis seminibus integumento membranaceo laxo umbilico adhaerente, sic arillo vero indutis. Tale autem omnino deest in seminibus Commelinae et Tradescantiae, alias certe oculis lynceis *Gaertneri* non praeterfugisset, nec ego semina arillata in Commelina erecta vel Africana unquam vidi. An igitur genere separanda a Commelinis vel Tradescantiis? inprimis cum nec nectaria adsunt nec filamenta barbata.

SCHRADERA.

CHARACTER ESSENTIALIS. Calyx margo superus, integerrimus. Corolla quinque- vel sexfida. Stigmata duo. Bacca unilocularis, polysperma.

SCHRADERA capitata.

Fuchsia involucrata: floribus involucratis. Swartz prodrom. pag. 62.

Hanc, uti quamplurimas plantas insulae Montserratensis ante plurimos annos primus detexit *Ryan* inque Europam misit.

Rami tetragoni, glabri, cortice cinereo, apice fusci, articulati: *articulis* bipollicaribus.

Folia petiolata, opposita, patentia, tri- vel quadripollicaria, elliptica, integerrima, apice obtusa, basi parum acutiora, subcoriacea, utrinque glaberrima, avenia, obscure nervosa.

Petioli pollicares, fuscescentes. *Stipulae* nullae.

Pedunculus terminalis, solitarius, compressus, sursum parum latior, bipollicaris. *Bracteae* duae, membranaceae, pollicares, oblongae, obtusae, pedunculi basin laxe vaginantes. *Flores* plures, receptaculo carnoso innati, basi involucrati. *Involucrum* cum receptaculo connatum, margine liberum, lobatum.

CALYX margo superus, integerrimus, basin corollae arcte cingens.

COROLLA crassa, monopetala. *Tubus* unguicularis, sursum versus sensim latior: intus inferne glaber, superne hirsutus. *Limbus* quinque- vel sexpartitus. *Laciniae* carnosae, lanceolatae, parum reflexae, supra versus faucem planae: antice triangulares, e lateribus compressis carinatae, denticulus carnosus, triangularis ad basin carinae; subtus planae.

STAMINA. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quinque vel sex, lineares, inter lacinias limbi, erectae, limbo triplo breviores.

PISTILLUM. *Germen* inferum, basi tetragonum, lateribus parum impressis, angulis acutis. *Stylus* unicus, tubo corollae brevior. *Stigmata* duo, crassa, oblonga.

PERICARPIUM. *Bacca* unilocularis, polysperma.

Quod plane recedit, tam a Charactere generis Fuchsiae *Plumierii* et *Jussiaei*, uti et a Skinnerae *Forsteri*, a *Linnaeo* filio ad Fuchsiam relatae, quam a Fuchsiae *Linnaei* in generibus plantarum, Holmiae 1764 e data descriptione cuique patet. Calyx enim non infundibuliformis quadrifidus deciduus, Corolla tetrapetala antherae didymae et Bacca quadrilocularis ut habent *Plumierius*, *Jussiaeus* et *Forsterus*, nec corolla octofida laciniis alternis inferioribus et Stigma simplex ut tradit *Linnaeus*. Genus itaque esse distinctum non dubito, quod nomine amici optimi et botanici celeberrimi *Henr. Ad. Schraderi*, auctoris Spicilegiae florae germanicae, condecorare volui. Prope Loranthum collocanda. Observata *Ryani* in loco natali, uti plantam descriptam illustrantia, hic addere lubet.

Planta parasitica radicum arborum, caule sublignoso, plerumque parum pendula, scandentem tamen vidi, sex- vel octopedalis, apicem versus tantummodo ramosa.

FLORES terminales, conglomerati, septem ad viginti quatuor in capitulo, pentandri vel hexandri interdum in eadem planta, interdum in distincta.

BACCA unilocularis, polysperma, intra calycem urceolatum, inflatum, persistentem.

SEMINA plurima, minuta.

Crescit in altis montibus insulae Montserrat.

GUETTARDA.

GUETTARDA CRISPIFLORA, foliis ovatis acuminatis nervosis subtus villosis, floribus pentandris: laciniis corollae crispatis.

Habitat versus summitates montium in insula Montserrat. *Ryan.* ħ

CAULIS farctus, decempedalis, gracilis. *Ryan.* *Rami* tetragoni, superne dense griseo-villosi.

FOLIA

FOLIA petiolata, opposita, saepe spithamaea et ultra, late ovata, suprema basi interdum subcordata, acuminata, integerrima, supra villis rarioribus adspersa, subtus villosiora, praesertim in costa et nervis: tenella utrinque sericea, omnia nervosa, nervis plurimis adscendentibus et subtus inter nervos subsimpliciter pulchre oblique venosa.

Petioli adultiores purpurascentes, subvillosi, tripollicares: juniores griseo-villosi. *Stipula* utrinque, pollicaris, ovata, acuminata, ferruginea, cinerascens, villosa.

PEDUNCULI axillares et laterales, solitarii, oppositi, uti calyces et corollae extus e villis densis grisei, bifidi, ramus alter interdum iterum divisus, petiolo breviores. *Flores* sessiles, in *spicis* secundis reflexo-patentibus, distantes.

CALYX margo superus, brevissimus, persistens, tridentatus: *dentibus* minutis.

COROLLA monopetala, hypocrateriformis. *Tubus* pollicaris, teres, superne parum crassior. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* oblongis, laciniato-crispatis, apice parum latioribus.

STAMINA. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quinque in medio tubi, vix ultra tubum prominentes.

PISTILLUM. *Germen* subtriquetrum, inferum, sulcatum. *Stylus* unicus, linearis, longitudine tubi corollae. *Stigma* capitatum, angulatum, truncatum.

DRUPA oblonga, villosa, subangulata. *Putamen* tetragonum, quadrialatum, quadriloculare.

RHEXIA.

RHEXIA INCONSTANS, foliis ovatis hispidis setis adpressis subtus incanis trinerviis, pedunculis terminalibus subunifloris.

Melastoma ornata: foliis trinerviis, integris rigidis, supra hispidis, setis adpressis, subtus incanis; umbellis quadrifidis terminalibus pauciflоris, capsulis hispidis. SWARTZ prodr. pag. 69.

Habitat in Montserrat in summitate Solfaterrae (Volcario) supra lavam muscis obtectam. *Ryan.* ♄

FRUTICULUS humilis, ramosus. *Rami* diffusi, adscendentes, inferiores versus basin radicantes, palmares et ultra, tetragoni, e pilis ferrugineis adpressis frequentibus hispidi, subramulosi: *ramuli* axillares, uti rami oppositi, folio breviores.

Folia petiolata, opposita, vix unguicularia, ovata, obtusiuscula, ciliata; supra subtrilineata, avenia, adspersa setis flavescentibus adpressis, viridia: subtus incana, trinervia praeter nervos marginales, in nervis et costa setis albidis hispida.

Petiolus brevis, hispidus.

Pedunculi terminales, plerumque tres vel quatuor, interdum quintus centralis reliquis brevior, vix pollicares, hispidi, ferruginei, uniflori, saepe unicus e lateralibus biflorus. *Bracteae* duae in singulo pedunculo parum supra medium, oppositae, sessiles, ovatae, ciliatae, coeterum glabrae, parvae.

Calyx quadri- vel quinquefidus, subobovatus, adspersus setis frequentibus, albidis, apice subglandulosis purpurascentibus. *Laciniae* lanceolatae, attenuatae, setis ciliatae.

Corolla. *Petala* quatuor vel quinque, obovato-subrotunda, unguicularia, rosea, margine exteriore ciliata: ciliae remotae, ope lentis glandula minuta terminatae.

Stamina. *Filamenta* octo vel decem, erecta, corolla duplo breviora. *Antherae* oblongae, obtusae, sulphureae, basi parum incurvae, apice inferiore indivisae, filamentis duplo breviores.

Stylus staminibus parum brevior.

Capsula globosa, glabra, calyce tecta eoque brevior.

Multa similia habet cum Rhexia villosa *Aublaetii*, ut primo intuitu facile eandem esse crederes, R. villosa differt solummodo, quantum e figura videre licet, laciniis calycinis setaceis, antheris multo majoribus, apice inferiore bicornibus.

Numerus Staminum perpetuo maxime variabilis est ex observatione *Ryani*, qui a septem ad duodecim numeravit, hinc Rhexiam inconstantem vir optimus nominavit.

RHEXIA BIVALVIS, glabra, decandra, foliis oblongis sessilibus obscure crenatis obtusis, pedunculis terminalibus unifloris.

Melastoma bivalvis; caule alato, foliis brevibus ovatis obtusis trinerviis sessilibus. Aubl. fl. Guian. pag. 404. Tab. 155. fig. a.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ⊙

Tota planta glabra, cinerascens.

Caulis adscendens, simplex, tetragonus, angulis membranaceis, articulatus, articulis unguicularibus, infimis radicantibus: superne *ramo* uno vel altero opposito, simplicissimo, axillari, folio dimidio longiori, uni- vel biarticulato, alato.

Folia opposita, sessilia, oblonga, obtusa, versus apicem crenis nonnullis obscuris, crassiuscula, avenia, obscure trinervia, inferiora articulis breviora, superiora parum longiora.

Pedunculi terminales interdum terni, ramorum solitarii, breves, uniflori.

Calycis *laciniae* quinque, lanceolatae.

Stamina decem.

Capsula magnitudine seminis coriandri, bivalvis.

RHEXIA TRIVALVIS, glabra, decandra, foliis lineari-lanceolatis sessilibus supra punctatis integerrimis, pedunculis unifloris.

Melastoma trivalvis; foliis linearibus acutis, capsula trivalvi. AUBL. fl. gu. pag. 406. tab. 155. fig. b.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ⊙

Tota planta glabra.

Caulis adscendens, spithamaeus vel pedalis, inferne crassitie pennae columbinae, articulatus; articuli vix unguiculares, tetragonus, angulis membranaceis, superne ramo uno alterove.

Folia sessilia, opposita, lanceolata, integerrima, supra cinereo-virescentia, adspersa punctis numerosis minutis, oculo armato videndis, subtus impunctata, obscure trinervia, acuta, triplo angustiora quam in bivalvi, inferiora articulis parum breviora, superiora aequantia.

Pedunculi in axillis supremis et apice solitarii, uniflori, longitudine folii.

Calycis *laciniae* subulatae.

Stamina decem.

Capsula magnitudine seminis coriandri.

RHEXIA LONGIFOLIA, pilosa, decandra, foliis lanceolatis integerrimis quinquenerviis, pedunculis axillaribus terminalibusque dichotomis foliis brevioribus.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

Caules herbacei, laxi, angulati, e pilis longis densis adpressis cinereo-flavescentes.

Folia petiolata, opposita, remota, tri- vel quadripollicaria, pollicem lata, sursum sensim minora, lanceolata, attenuata, acuta, integerrima, utrinque adspersa pilis longis adpressis, subtus pallidiora, mollia, trinervia: nervi laterales supra basin in ramos duos parallelos divisi.

Petiolus vix pollicaris, pilosus, cinereo-flavescens.

Pedunculi bis bifidi, cum flore pedicellato in singula dichotomia, piloso-cinerei, axillares oppositi, terminales terni, longitudine petioli: *partiales* pedunculum universalem aequantes: *pedicelli* semiunguiculares.

Calyx oblongus, griseo-hirtus: *laciniae* quinque, subulatae, intus coloratae, glabrae. *Petala* quinque, oblonga, calyce dimidio longiora, ciliata.

Stamina decem, corolla vix longiora. *Filamenta* subflexuosa, edentula. *Antherae* longitudine filamentorum, acutiusculae, basi parum incurvae.

Capsula subglobosa, calyce brevior, apice hirta, quinquevalvis. *Valvulae* ovatae, acutae.

Receptacula seminum quinque, incurva, superne libera, scrobiculata, nigra.

Semina copiosa, minutissima.

Accedere videtur ad Rhexiam hispidam in Act. soc. hist. nat. Paris I. pag. 108; e descriptione autem non liquet, num specie differat nec ne.

MELASTOMA.

Dodecandrae.

MELASTOMA CALYPTRATA, foliis elliptico-lanceolatis attenuatis trinerviis glabris obsolete denticulatis, floribus paniculatis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

Rami tetragoni, glabri.

Folia petiolata, opposita, quadri- vel sexpollicaria, patentissima, attenuata, basi apiceque acuta, extrorsum obscure dentata, utrinque glabra, trinervia, praeter nervos marginales.

Petioli bipollicares, subtriquetri.

Panicula terminalis, erecta, palmaris: *rami* patentes, infimi quatuor, reliqui oppositi, glabri, trichotomi, uti pedunculus communis articulati: articuli apice parum dilatati; *ramuli* divaricati, triflori. *Flores* pedicellati, calyptrati: *calyptra* conica, acuta, transversim decidua.

Calyx magnitudine seminis Coriandri, truncatus, laevis, glaberrimus, cinereo-virescens. *Petala* quinque, oblonga, lutea.

Stamina duodecim vel tredecim, longitudine corollae. *Antherae* lineares, utrinque obtusae, dorso flavae, margine pallidae, basi subemarginatae.

Decandrae trinerviae.

MELASTOMA AROMATICA, foliis ovatis nitidis, subtus subpilosis; nervis cauleque strigosis, calycibus basi bracteis imbricatis.

Tibouchina aspera. AUBL. fl. Guian. pag. 445. tab. 177.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ħ

Rami inferne teretiusculi, superne obscure tetragoni, tecti strigis adpressis subferrugineis, scabri: *ramuli* floriferi, oppositi, tetragoni, strigosi.

FOLIA petiolata, opposita, pollicaria vel parum ultra, acuta, trinervia, subtriplicata. Juniora utrinque pilosa, adultiora supra nitida, subtilissime striata, glabra, excepto in medio inter nervos et versus marginem: subtus pallidiora, magis scabra, pilosiora; pili in foliis junioribus basi lati, terminati seta, aetate evanescentes.

Petiolus semiunguicularis, supra canaliculatus, subtus convexus, strigosus.

PEDUNCULI ex axillis superioribus solitarii, oppositi, terminales ramulorum et ramorum terni: laterales uniflori, intermedio trifloro, floribus breviter pedicellatis. *Bracteae* sex, imbricatae, ovatae, mucronatae, calyce breviores, strigis tectae.

CALYX oblongus, tectus strigis adpressis, latioribus et longioribus quam in reliqua planta: *laciniae* quinque, subulatae, erectae, intus glabrae.

COROLLA et STAMINA ut in Aublaetio.

MELASTOMA CRENATA, hispida, foliis subcordatis oblongis crenatis acuminatis, racemis axillaribus paucifloris longitudine petioli.

Habitat in America meridionali. ħ

Rami teretes, purpurascentes, uti petioli, pedunculi et calyces e pilis rufescentibus hispidi.

FOLIA petiolata, opposita, bipollicaria, utrinque pilis flavescentibus, praesertim margine subhispida, basi sinu parvo excisa, acuminata, acumine brevi obtuso, trinervia praeter nervos marginales, nervi infra acumen concurrentes: subtus pallidiora.

Petiolus vix unguicularis, supra canaliculatus, subtus carinatus.

RACEMI axillares, plerumque solitarii, interdum gemini, petiolo vix longiores, quinqueflori: *pedicelli* oppositi patentissimi, uniflori.

CALYX oblongus: *laciniae* quinque, setaceae.

Petala oblonga.

STAMINA decem, longitudine corollae. *Antherae* lineares, acutae, basi obtusiusculae.

BACCA magnitudine Piperis nigri.

MELASTOMA DECUSSATA, foliis lanceolato-oblongis serrulatis ciliatis supra glaberrimis, spicis racemosis bipartitis, floribus confertis.

Melastoma racemosa; foliis ovatis quinquenerviis, petiolis et limbis foliorum villosis. AUBL. flor. Gu. pag. 406. tab. 156.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Rami obscure tetragoni, glabri, superne inter petiolos pilosi, laeves, purpurascentes.

FOLIA petiolata, opposita, remota, decussata, bi- sive tripollicaria, interdum parum longiora, oblonga, plerumque lanceolato-oblonga, parum acuminata, subtilissime serrata, ciliata, trinervia praeter nervos marginales: supra laevia, glaberrima, avenia, margine purpurascentia; subtus glabra, nervi adspersi pilis rufescentibus, inter nervos subtilissime remote simpliciter venosae, venae plerumque omnino glabrae, uti nervi purpurascentes.

Petioli semiunguiculares, purpurascentes, supra canaliculati, margine hirti, praesertim vero apice.

RACEMI terminales cum ramulo ulterius excrescente, solitarii, brachiati, quadripollicares. *Pedunculi communes* compresso-subtetragoni, superne subvillosi: *partiales* oppositi, vix unguiculares, bipartiti: *ramis* unguicularibus. *Bractea* minuta sub ramificationibus et singulo flore. *Flores* conferti, glabri, in latere superiore ramuli.

CALYX obsolete quinquelobus, magnitudine seminis Sinapi.

Petala quinque, cuneiformia.

STAMINA decem, longitudine corollae. *Antherae* incurvae, lateribus laete purpureae, intus apiceque albidae, dorso fuscae, petalis parum longiores.

Stylus longitudine staminum.

An melastoma ciliata Act. soc. hist. nat. Paris 1. pag. 109 specie differt? E differentia non liquet.

MELASTOMA HOLOSERICEA, foliis oblongo-ovatis integerrimis, subtus canis, spicis racemosis bipartitis, floribus confertis biseriatis.

Mucra. MARCGR. Bras. 117 fide herbarii *Marcgravii.*

Arbor racemosa brasiliana, foliis malabathri. BREYN. Cent. pag. 3. tab. 2.

Melastoma holosericea: foliis integerrimis trinerviis oblongo-ovatis, subtus tomentosis, racemis brachiatis, spicis bipartitis. LIN. Syst. Veg. pag. 404.

In America meridionali legit *von Rohr.* ♄

Rami inferne obscure tetragoni, superne compressi, uti folia subtus, petioli et pedunculi adultiores cani.

FOLIA

Folia petiolata, opposita, tripollicaria, oblonga, basi ovata, ad insertionem petioli parum emarginata, parum acuminata, acuta, trinervia praeter nervos marginales, transversim frequenter simpliciter venosa, inter venas parum depressa, integerrima: supra nitida, exsiccata nigra; subtus venis transversis, simplicibus, tenuissimis.

Petioli semiunguiculares, triquetri, supra plani.

Racemi solitarii, primo terminales cum ramulo laterali, dein ramulo excrescente axillares, erecti, folio longiores, brachiati. *Pedunculi communes* compresso-tetragoni: juniores ferruginco-canescentes. *Pedunculi partiales* patentissimi, bipartiti cum flore sessili in divaricatura: *rami* patentes, vix pollicares. *Bractea* subulata ad basin pedunculorum et florum. *Flores* sessiles in latere superiore ramulorum, conferti, biseriati, parvi.

Calyx obscure quinquelobus: *fructiferus* truncatus, magnitudine seminis Cannabis, tomentosus, longitudinaliter subtorosus.

Petala quinque, obovata, lutea.

Stamina decem, corolla parum longiora. *Antherae* luteae, lineares.

Stylus staminibus parum longior.

Recedit sic Melastoma holosericea in observationibus *Swartzii* pag. 176 descripta, quae ex auctoritate celeb. viri cum specimine herbarii *Linnaei* consentit: caule acutangulo, angulis membranaceis: foliis sessilibus, villoso-sericeis, tri- ad novem nerviis: racemis divisis, pedicellis ultimis trifloris: calyce quinquefido: corollis majusculis, violaceo-purpureis. Haec autem omnia nullo modo quadrant cum differentia, descriptione et synonymis Melastomae holosericeae Specierum plantarum *Linnaei* pag. 559. Plane itaque convictus sum, plantam a celeb. *Swartzio* descriptam, uti et illam in herbario *Linnaeano* asservatam, omnino esse diversam ab illa, quam *Linnaeus* olim sub hoc nomine descripsit. Nunquam enim *Linnaeum* differentiam et descriptionem ab ipsa planta tam discedentem tradere potuisse omnibus persuasum quoque esse non dubito. Melastomae holosericeae mentio primum in horto Cliffortiano facta est, et quidem tantum secundum specimen herbarii Cliffortiani, ut exinde patet, quod in viridario Cliffortiano non nominatur. *Linnaeus* plantam dein accepit, altera jam tractu temporis ex animo fere deleta, quam propter aliquam similitudinem eandem esse credidit quam aliquando in herbario Cliffortiano viderat, ideoque sub hoc nomine in herbario deposuit. Conjecturam hanc a veritate nullo modo abhorrere, non difficile foret exemplis similibus confirmare.

Cum autem Melastoma a me hic descripta exacte cum illa sub nomine holosericeae in Speciebus plantarum convenire etiam atque etiam patebit unicuique conferenti

descriptionem meam cum *Linnaeana*, consultius esse duxi confusionis evitandae causa, nomen triviale *Lin.* in hac specie retinere, aliud autem condendum esse ad designandam speciem a *Swartzio* descriptam, utpote novam, credidi.

Decandrae, quinquenerviae.

MELASTOMA FRAGILIS, foliis ovatis reticulatis serratis, racemis brachiatis terminalibus, pedunculis inferioribus trifidis, pedicellis subbifloris.

Texauatl. HERNAND. hist. pag. 414.

Coa-ghiyryo. MARCGR. hist. plant. pag. 59. PISO de Ind. utriusque re natur. pag. 217. fide herbarii *Marcgravii* huc pertinet minime ad Melast. strigosam.

Melastoma fragilis: foliis quinquenerviis reticulatis, racemis floribus secundis sessilibus. LIN. Suppl. pag. 236.

Grossulariae fructu non spinosa. *Sloan.* hist. 2. tab. 196. fig. 1. synonymum a *Linnaeo* huc allatum, ad aliam plantam pertinere jamdudum recte monuit Celeb. *Swartz.* in obs. bot. pag. 178.

MELASTOMA ELEGANS, hispida, foliis cordatis inaequaliter crenato-dentatis, racemis dichotomiae terminalibusque paucifloris.

Melastoma elegans: foliis cordatis, pilosis, eleganter crenatis, floribus corymbosis. AUBL. fl. Guian. pag. 427. tab. 164.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

Rami teretes, dichotomi, cortice fusco, uti petioli, folia utrinque, pedunculi et calyces e setis longis distinctis hispidi; setae ramorum basi crassiores, rufescentes, patentissimae: foliorum et reliquarum partium pallide flavescentes.

FOLIA petiolata, opposita, bi- sive tripollicaria, cordata, acuminata, obtusiuscula, obtuse dentata: dentibus emarginatis cum seta, alternis parum majoribus, quinquenervia praeter nervos marginales, nervi interiores infra acumen concurrentes, inter nervos simpliciter subvenosa.

Petioli pollicares, supra sulco exarati.

PEDUNCULI in dichotomiis ramorum et apice, solitarii, interdum gemini, sesquipollicares: *pedicelli* oppositi, plerumque quatuor, versus florem parum crassiores, patentissimi, unguiculares: infimi saepe triflori: flore intermedio sessili.

CALYX: *laciniis* quinque, setaceis; *fructiferus* subovatus.

Petala quinque, oblonga, vix unguicularia.

STAMINA

STAMINA decem, longitudine petalorum. *Antherae* margine pallidae, undulatae, subulatae, basi incurvae, filamentis parum longiores.

BACCAE Pipere nigro parum minores.

MELASTOMA PHYSIPHORA, foliis ovatis attenuatis denticulatis ciliatis, petiolis hispidis apice vesiculosis.

Tococa guianensis. AUBL. fl. Guian. pag. 437. 438. tab. 174.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

Rami purpurascentes, apicem versus alternatim compressi, angulis e setis longis patentibus purpureis hispidis, lateribus glabris laevibus.

FOLIA petiolata, opposita, remota, pedalia, ovata, extrorsum versus sensim attenuata, subtilissime denticulata, ciliata, quinquenervia, tenella trinervia, transversim venosa, subreticulata, supra secundum venas lineata, pilis raris luteis inter venas adspersa: subtus pallide viridia, nervis et venis exstantibus, purpureis, majoribus pubescentibus.

Petioli bipollicares, plani, striati, margine hispidi: apice terminati vesica obovata, pollicari, setis aliquot adspersa.

Racemus terminalis, erectus, palmaris vel parum ultra, subcompositus. *Pedunculus communis* alternatim compressus, e linea elevata decurrente subangulatus, purpureus, raro hispidus, ad pedunculos partiales parum latior. *Pedunculi partiales* oppositi, unguiculares; infimi trifidi, pedicellis lateralibus unifloris, intermedio trifloro; reliqui triflori, flore intermedio sessili.

CALYX turbinatus, purpureus, vix unguicularis, lateribus margineque adspersus pilis longis raris, quinquedentatus.

Petala quinque, subrotunda.

STAMINA decem, corollae longitudine. *Antherae* semiunguiculares, filamentis parum longiores, subulatae, dorso apiceque purpureae, margine pallidae.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* explanatum, orbiculatum, supra parum convexum.

MELASTOMA CAPITATA, foliis lato-lanceolatis integerrimis, capitulis terminalibus involucratis, ramis tetragonis, filamentis appendiculatis.

Habitat in India occidentali. *Schumacher*, Professor Chirurgiae Hauniensis. ♄

Rami scandentes? acute tetragoni, superne compressi, angulis strigosis, scabriusculis.

FOLIA petiolata, opposita, bi- sive tripollicaria, lato-lanceolata, integerrima, attenuata, acuta, basi obtusa, quinquenervia: supra adspersa pilis adpressis cum impressione parva ad singulum pilum, minime scabra; subtus flavo-virescentia, glabra, nervis et marginibus tantum pilosa.

Petioli unguiculares, plani, pilosi.

PEDUNCULUS terminalis, erectus, pollicaris et ultra. *Flores* quinque vel sex, in capitulo collecti, sessiles, involucrati. *Involucrum* tetraphyllum: *foliola* duo exteriora lanceolata, sesquipollicaria: duo interiora ovata, dimidio breviora; omnia basi colorata, reliqua parte foliis simillima, subquinquenervia. *Bractea* ad basin singuli floris, membranacea, lanceolata, longitudine fere calycis, dorso pilosa.

CALYX glaber, tubulosus, basi cinctus pilis longis griseis, submembranaceus, nervosus, unguicularis, quinquefidus: *laciniis* lanceolatis, attenuatis, subciliatis.

COROLLA. *Petala* quinque, oblonga, laciniis calycinis dimidio longiora.

STAMINA decem, corolla longiora. *Filamenta* filiformia, vix unguicularia; apice corpuscula duo oblonga, subpedicellata, flava, obtusa, appendiculata. *Antherae* longitudine filamentorum, lineares, acutae, flavae, dorso fuscae, rectae.

Germen oblongum, apice setis plurimis coronatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum.

Octandrae, trinerviae.

MELASTOMA TRIFLORA, foliis elliptico-lanceolatis integerrimis, ramis petiolis calycibusque strigosis, floribus axillaribus subpedunculatis ternis.

Habitat in Caribaeis. *Forseith.* ♄

Rami obtuse tetragoni, superne, uti petioli et calyces, tecti setis frequentibus adpressis.

FOLIA petiolata, opposita, tripollicaria vel ultra, utrinque attenuata, acuta, trinervia, praeter nervos marginales, supra et infra in nervis et venis adspersa setis adpressis flavescentibus ramorum parum angustioribus, vix tamen scabra, subtus pallide viridia.

Petioli unguiculares, teretiusculi.

FLORES axillares, plerumque tres in singula axilla, brevissime pedunculati.

CALYX turbinatus, obscure quadridentatus.

Petala quatuor, ovata.

STAMINA octo, corolla breviora. *Antherae* breves, lineari-oblongae, obtusae, purpureae, dorso fusco-purpurascentes.

Differt Mel. fasciculata *Swartzii*, ut video ex specimine ab amico optimo misso: foliis latioribus, supra scabris, subtus pilis mollibus, floribus infrafoliaceis longius pedunculatis plüribus, calycibus minoribus glabris.

Octandrae, triplinerviae.

MELASTOMA ACUMINATA, foliis ovatis extrorsum denticulatis acuminatis subtus incanis, corymbis terminalibus fastigiatis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

RAMI inferne teretiusculi, apicem versus tetragoni, pulverulento-incani, sub foliis dilatati.

FOLIA petiolata, opposita, tri- vel quinquepollicaria, valde acuminata, corymbo proxima lanceolata, inferne integerrima, extrorsum versus denticulata: supra glaberrima, laevia, triplinervia, praeter nervos marginales a basi ortos, subtus incana, venosa, venis simplicibus, remotis, nervis adultiorum flavescentibus; juniora pulverulenta.

Petioli, uti pedunculi pulverulenti, supra plani, subtus carinati.

CORYMBI terminales, trichotomi, fastigiati. *Pedunculi universales* terni, uti *partiales* compressi, articulati: articulis apice latioribus.

CALYX viride-flavescens, subpulverulentus, basi globosus, superne coarctatus: *limbus* subexplanatus, obscure quadrilobus.

Petala quatuor, oblonga, flava.

STAMINA octo, corolla parum longiora. *Antherae* lineares, dorso flavae, margine albidae.

MELASTOMA VERTICILLATA, foliis ovatis oblongis attenuatis denticulatis villosis supra scabris, racemis axillaribus, floribus verticillatis.

Habitat in Caribaeis. *Forseith.* ħ

Rami molliter denseque villosi, tetragoni, articulati: *articuli* tripollicares, sursum sensim breviores, lateribus oppositis alternatim e margine membranaceo angusto exstante canaliculatis.

FOLIA petiolata, opposita, quadri- vel quinquepollicaria, in acumine angusto attenuata, triplinervia praeter nervos marginales parum supra basin ortos, subtilissime denticulata, ciliata, utrinque villosa, praesertim subtus in costa et nervis: supra e punctis elevatis scabra; subtus impunctata, minus scabra, pallidiora.

Petioli dense villosi, unguiculares, teretiusculi.

Pedunculi ex axillis alternis, solitarii, bipollicares. *Flores* verticillati, seni in singulo verticillo, remoti, inferiores pedicellati, superiores sessiles. *Pedicelli* uniflori, interdum biflori: infimi longiores, unguiculares, inaequales.

Calyx quadrifidus, villosus: *laciniae* lineari-lanceolatae, breves, reflexae.

Petala quatuor, lanceolata, parva.

Stamina octo, petalis parum longiora.

Bacca globosa, semine Sinapis triplo major.

MELASTOMA lateriflora, foliis obovatis acuminatis setaceo-subserratis glabris, pedunculis infrafoliaceis aggregatis unifloris.

Habitat versus summitates montium insulae Montserrat. *Ryan.* ħ

Caulis bi- sive tripedalis. *Rami* inferne teretes, superne tetragoni, dichotomi, glabri, purpurascentes.

Folia superne in ramis, petiolata, opposita, bi- sive tripollicaria, oblonga, basi attenuata, apice acuminata, subcoriacea, margine parum reflexa, serrata: serraturis minutissimis, remotis, apice seta brevi terminatis, margini folii adpressis, triplinervia, utrinque glabra, subtus pallida, scabriuscula.

Petiolus pollicaris, supra subcanaliculatus, subtus convexus.

Pedunculi infrafoliacei, aggregati, sex vel septem, breves, uniflori. *Flores* parvi.

Calyx truncatus, oculo armato substrigosus.

Petala quatuor, parva, ovata, attenuata.

Stamina octo, longitudine petalorum. *Antherae* rufae, margine pallidiores, oblongae, utrinque obtusae, longitudine filamentorum.

Stylus staminibus longior. *Stigma* obtusum, subcapitatum.

Bacca magnitudine seminis Coriandri, globosa, oculo armato adspersa pilis rarioribus strigosis adpressis.

Octandrae, quinquenerviae.

MELASTOMA coccinea, foliis elliptico-ovatis acuminatis glabris integerrimis, thyrso terminali, pedunculis pedicellisque nodosis hispidis.

Melastoma coccinea: nodosa teres: foliis ovatis, angusto-acuminatis, integris, lucidis, quinquenerviis: racemis subsessilibus laxifloris, coccineis. Act. soc. hist. nat. Paris p. 1. pag. 109?

Habitat

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

Rami obscure tetragoni, trifidi, inferne glabri, superne, uti petioli et pedunculi e pilis griseis sparsis crispis subhispidi.

Folia petiolata, opposita, tripollicaria, elliptico-ovata, acuminata, integerrima, utrinque glabra, laevia, quinquenervia: supra saepe adspersa punctis minutis albis, praesertim juniora; subtus pallide viridia, venoso-reticulata, nervis venisque lutescentibus. Juniora supra secundum nervos transversos lineata.

Petioli ciliati, basin versus glabriores et crassiores.

Thyrsus terminalis, brachiatus, palmaris. *Pedunculi partiales* oppositi, uti pedunculi communes ad ramificationes nodosi, juniores e pilis brevibus sordide grisei, semel bis vel rarius ter trichotomi, ramo ultimo trifloro. *Flores* pedicellati: *pedicelli* breves. Folium lanceolatum utrinque sub infimis ramificationibus thyrsi. *Bracteae* setaceae.

Calyx subquadrilobus, albido-punctatus, glaber: *lobi* rotundati.

Petala quatuor, oblonga, glabra, unguicularia.

Stamina octo.

Stylus corolla longior.

Ex observatis *Ryani* sequentia addere lubet:

Frutex mihi omnium facile pulcherrimus, quadri- vel sexpedalis, summitate saepe ita exacte comosa, ut Citrus aurantium viridariorum. Flores magni coccinei, octandri, in Thyrso congesti, totam superficiem comae tegentes.

Folia rugosa. Variat interdum flore albo.

Hic semel observandum de Melastomatis, Psychotriis aliisque montium indigenis, nihil certi pro charactere specifico e glabritie vel hirsutie foliorum eruendum esse, cum perpetuo variant, pro uti arbores vel in solo divite vel in valle quieto et securo crescunt, vel in jugo abrupto, arido tempestatibusque exposito, ventorum impetu hisce regionibus familiari expositae sunt.

MELASTOMA sessiliflora, villoso-subtomentosa, foliis lanceolato-ovatis denticulatis subpetiolatis, floribus axillaribus sessilibus subverticillatis.

Habitat in america meridionali. *von Rohr.* ♄

Rami obtuse tetragoni, e pilis densis crispis ferrugineis tomentosi, apice griseo-rufescentes.

Folia brevissime petiolata, opposita, bi- sive tripollicaria, utrinque obtusiuscula, subtilissime denticulata; supra rugosula, scabriuscula, subtus villosiora, subtomentosa,

tosa, mollia, griseo-flavescentia, nervi quinque praeter marginales; juniora utrinque griseo-tomentosa.

Flores axillares, utrinque tres vel quatuor, sessiles, parvi.

Calycis *laciniae* quatuor, ovatae, parvae, extus villosae.

Petala quatuor, oblonga.

Stamina octo, longitudine corollae. *Antherae* lineari-oblongae, purpureae, longitudine fere filamentorum.

Bacca globosa, magnitudine seminis Coriandri.

BUCIDA.

BUCIDA buceras, spicis elongatis, foliis cuneiformibus glabris.

Bucida buceras. Lin. Syst. Veget. pag. 400.

BUCIDA capitata, floribus capitato-spicatis, foliis cuneiformibus margine villoso-ciliatis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

Habitus Bucidae buceratis.

Arbor sexaginta vel septuaginta pedes alta. *Rami* saepe ternati, ultimi dichotomi, cum rudimento ramuli in dichotomia, teretes, apice foliosi et floriferi, rugosi, e casu foliorum cicatricati: juniores laeves, villoso-tomentosi, ferruginei, apice parum incrassati.

Folia in apice ramorum, aggregata, basi in petiolum brevissimum attenuata, bipollicaria, integerrima, obtusissima, plerumque emarginata, tenuissime venosa: supra glabra: subtus pallidiora, venis exstantioribus, costa margineque villoso-sericea.

Stipulae ovales, ferrugineo-sericeae, deciduae.

Pedunculi ad basin foliorum, quinque vel sex, foliis breviores, ferrugineo-tomentosi, sericei. *Flores* sessiles, conferti, in capitulo oblongo: capitulo ante explicationem florum facie amenti. *Bracteae* inter flores spathulatae, longitudine florum, ferrugineo-sericeae.

Calyx superus, urceolatus, quinquedentatus: *dentibus* rotundatis.

Corolla nulla.

Stamina. Filamenta decem, alterna breviora basi calycis inserta, alterna longiora superiora: *Antherae* parvae, oblongae,

Pistil-

PISTILLUM. *Germen* inferum, teres, sursum angustatum. *Stylus* subulatus, calyce longior. *Stigma* simplex, acutum.

RECEPTACULUM floris planum, hirsutum.

PERICARPIUM. *Drupa* oblonga, utrinque acuta, apice parum attenuata, calyce non coronata. *Pulpa* inter corticem exteriorem et nucem.

Putamen figura Drupae, longitudinaliter rugosum, osseum.

SEMEN lineare.

Aliam quoque in Montserrat legit *Ryan*, foliis supra nitidis, subtus pallidis, margine non villoso-ciliatis, tantum e pilis minutis griseis, utrinque, etiam in junioribus, venis exstantibus, caeterum habitu et modo florendi eandem; an vero specie differt necne aliis relinquo. Figuram hujus quoque dedi in Tab. VIII. fig. 2. Praeter has duas tertiam ex Insula Trinitatis communicavit vir optimus absque floribus, habitu autem Bucidae quam maxime simili, foliis oblongis, alternis, distantibus tantum diversam. Si hujus generis, certe specie diversa est.

RYANIA.

CHARACTER ESSENTIALIS. CALYX pentaphyllus, persistens. COROLLA nulla. STIGMATA quatuor. BACCA suberosa, unilocularis, polysperma.

RYANIA SPECIOSA.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ħ

ARBOR floribus speciosa. *Rami* teretes, subcinerascentes, superne tomento tenuissimo tecti.

FOLIA petiolata, alterna, spithamaea, elliptica, acuminata, acuta, utrinque glabra, oblique nervosa, integerrima: subtus costa pulverulenta, nervis elevatis, inter nervos venae tenuissimae, frequentes, simplices, transversae.

Petiolus brevissimus, supra canaliculatus. *Stipulae* subulatae, incanae, petiolo parum longiores, deciduae.

PEDUNCULI axillares, brevissimi, solitarii, interdum gemini, alter abortiens, uniflori.

CALYX. PERIANTHIUM inferum, persistens, pentaphyllum: *foliola* lanceolata attenuata, sesquipollicaria, patentia, tenuissime nervosa, colorata, extus e pulvere tenuissimo subcinerea.

COROLLA nulla.

Nectarium inter germen et stamina, urceolatum, villosissimum, altitudine germinis.

STAMINA. *Filamenta* numerosa, (circiter sexaginta) in duplici serie, calyce parum breviora, subulata, basi pilis raris adspersa, coeterum glabra. *Antherae* erectae, subulatae, filamento triplo breviores, torulosae, mucronatae, glabrae, post casum pollinis margine undulatae.

PISTILLUM. *Germen* ovatum, villosissimum, trilineare. *Stylus* unicus, glaber, longitudine staminum. *Stigmata* quatuor, convexa.

PERICARPIUM. BACCA suberosa, nuce juglandis duplo major, elliptico-sphaeroidea, fusca, scrobiculata.

RECEPTACULA quinque, ex parietibus baccae formata, suberosa, oblonga, utrinque attenuata, tuberculis minutis transversim seriatis adspersa.

SEMINA copiosa, horizontalia, ovato-subglobosa, semine Coriandri parum majora, pilis minutis raris adspersa, fusca, arillata. *Arillus* incompletus, basin et ventrem seminis tegens, membranaceus, trialatus, alis duplicatis.

Umbilicus exterior cicatricula parva, linearis, ventralis.

INTEGUMENTUM duplex: *exterius* subcoriaceum: *interius* tenuissimum, membranaceum.

ALBUMEN ovatum, basi acutum, apice areola parva, carnosum, sebaceum.

EMBRYO magnitudine fere albuminis, lacteus. *Cotyledones* subrotundae, compressae. *Radicula* cylindrica, centrifuga.

Affinis videtur Laetiae, differt vero calyce persistente nec marcescente: nectario; antheris, subulatis nec rotundis: stigmatibus quatuor: baccis subglobosis, lineis nullis exaratis nec intus membrana cartilaginea auctis: seminibus non angulatis. Folia simillima Caraipae longifoliae *Aublaetii*, at fructu toto coelo diversa.

Dixi in memoriam *Joh. Ryani*, qui fere omnes plantas, tam hujus fasciculi, quam sequentium benigne mecum communicavit.

ECLOGAE AMERICANAE

SEU

DESCRIPTIONES PLANTARUM

PRAESERTIM AMERICAE MERIDIONALIS,

NONDUM COGNITARUM

AUCTORE

MARTINO VAHL,

PROFESS. REGIO ET PLURIUM ACADEMIARUM SODALI.

FASCICULUS SECUNDUS.

CUM TABULIS AENEIS.

HAUNIAE,

IMPENSIS AUCTORIS.

EXCUDEBANT NICOLAUS MÖLLER ET FILIUS,

AULAE REGIAE TYPOGRAPHI.

MDCCXCVIII.

CAROLO PETRO THUNBERGIO,

PROFESSORI UPSALIENSI,

ANDREAE JOHANNI RETZIO,

PROFESSORI LUNDENSI,

OLAVIO SWARTZIO,

PROFESSORI HOLMIENSI,

BOTANICIS EGREGIIS

AMICISQUE OPTIMIS

D. D. D.

AUCTOR.

EXPLICATIO

TABULARUM.

TAB. XI. PIPER GRANDE.

XII. RONDELETIA BUXIFOLIA.

XIII. ECHITES NITIDA.

XIV. PRINOS DIOICUS.

XV. ISERTIA PARVIFLORA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter secta cum staminibus. c) Calyx cum pistillo. d) Pomum magnitudine naturali. e) Pomum carne ad dimidium ablata. f) Loculus magnitudine naturali, dorso et ventre visus. g) Semen magnitudine auctum dorso et ventre visum.

XVI. BIGNONIA ELONGATA.

XVII. BIGNONIA CORYMBIFERA.

XVIII. VITEX CAPITATA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter secta. c) Calyx cum pistillo. d) Pistillum calyce ablato. e) Drupa magnitudine naturali basi calyce vestita. f) Putamen ad medium fere denudatum. g) Idem transversim sectum. h) Semen magnitudine naturali. i) Calyx fructiferus.

XIX. TRAGIA CORNICULATA. a) Flos masculus magnitudine auctus. b) Capsula magnitudine naturali. c) Eadem aucta. d) Eadem transversim secta. e) Semen magnitudine naturali.

XX. MAMMEA HUMILIS. a) Flos magnitudine naturali. b) Calyx cum staminibus et pistillo. c) Stamen auctum. d) Pistillum magnitudine naturali. e) Bacca magnitudine naturali. f) Eadem parte superiori transversim secta. g) Semen latere interiori. h) Idem dorso visum.

ASCIUM

ASCIUM VIOLACEUM. a) Flos magnitudine naturali cum bractea utriculari latere inferiori visa. b) Petalum. c) Calyx cum staminibus et pistillo. d) Anthera aucta. e) Calyx cum filamentis et pistillo ablatis antheris. f) Receptaculum dimidiatum cum filamentis. g) Filamentum parum auctum. h) Pistillum. i) Bacca magnitudine naturali. k) Eadem inversa basi calyce vestita. l) Eadem transversim secta. m) Semen magnitudine naturali arillo vestitum. n) Idem arillo ablato. o) Arillus explanatus. p) Bractea utricularis latere superiori visa.

RITTERA PINNATA. a) Flos. b) Calyx cum pistillo. c) Petalum. d) Legumen. e) Semen apice superiori arillo tectum. f) Idem arillo ablato. g) Arillus, uti reliquae partes magnitudine naturali, cum pedicello.

AMASONIA PUNICEA. a) Flos magnitudine naturali. b) Corolla longitudinaliter secta. c) Calyx cum pistillo. d) Pistillum calyce ablato. e) Bacca magnitudine naturali calyce basi vestita. f) Eadem calyce ablato. g) Semen latere interiori. h) dorso visum.

ADDENDA.

Pag. 29. lin. 9. axi adnatis, cartilagineis, monospermis. SEMINA punctata, triquetra, dorso convexa.

Pag. 29. Talisia.

CHARACTER ESSENTIALIS. CALYX quinquepartitus. COROLLA duplex, utraque pentapetala. CAPSULA trilocularis: *loculis* monospermis.

JUSTICIA.

JUSTICIA RUBRA, racemis terminalibus solitariis simplicibus, bracteis setaceis, foliis lanceolatis.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.* ♄

CAULIS fruticosus, ramosus, teres. *Rami* oppositi, patentissimi, glabri, cortice cinereo, articulati: articulis apice utrinque dilatatis.

FOLIA petiolata, opposita, tripollicaria, lanceolata, attenuata, acuta, integerrima, venosa, utrinque glaberrima, subtus pallidiora.

RACEMI terminales, solitarii, longitudine foliorum, simplices, erecti. *Pedicelli* oppositi, remoti: inferiores subtriflori; superiores uniflori. *Bracteae* minutae, setaceae.

CALYCIS *laciniae* parvae, setaceae.

COROLLA pollicaris, glabra, bilabiata.

STAMINA. *Filamenta* corolla breviora. *Antherae* parallelae.

Collocatur inter Justiciam nitidam et strictam. Accedit ad Justiciam bracteolatam *Jacquini*, at folia multo angustiora.

JUSTICIA MICROPHYLLA, foliis aggregatis oblongis subcuneatisque, pedunculis unifloris longitudine foliorum, spinis axillaribus brevissimis rigidis.

Justicia microphylla, foliis obovatis coriaceis, spinis axillaribus brevissimis, pedunculis unifloris lateralibus. LA MARCK. Tabl. Encycl. pag. 37.

Habitat in insula St. Crucis. *West* ♄

RAMI obscure angulati, oppositi, patentissimi, simplices, cortice cinereo, inferne glabri, superne pubescentes, articulati: articulis apice parum latioribus.

FOLIA plura, tria vel quatuor simul, tuberculo insidentia, subsessilia, semiunguicularia, vel minora, oblonga, saepe subcuneiformia, integerrima, obtusa, saepe emarginata, basi acuta, glabra, subcoriacea, avenia, enervia.

Spinula utrinque, axillaris, rigida, folio brevior, horizontalis.

FLORES axillares, pedicellati, solitarii, rarius gemini. *Pedunculi* filiformes, longitudine foliorum.

CALYX parvus: *laciniis* linearibus, acutis.

COROLLA subregularis, unguicularis: *laciniae* oblongae.

A Just. spinosa differt pedunculis unifloris, difficile vero limites inter microph. et armatam *Swartzii* determinantur. Habitus certe diversus et folia multoties minora, an modo varietas? num pedunculi in Just. armata longitudine foliorum vel breviores, ignoro, cum desunt in specimine herbarii mei. Collocanda post Just. spinosam.

VERBENA.

VERBENA ARISTATA, foliis oblongis serratis, spicis elongatis, bracteis ovatis acuminatis semine longioribus, caule fruticoso.

Habitat in America meridionali. *von Rohr* ħ

RAMI tetragoni, purpureo-subcinerascentes.

FOLIA petiolata, opposita, sesquipollicaria, oblonga, utrinque attenuata, apice acuta, aequaliter serrata, basi integerrima, adspersa villis minutis, supra nervosa, subtus nervoso-venosa; nervis incanis.

Petiolus brevis.

SPICA terminalis, saepe semipedalis, imbricata. *Bracteae* ovatae, semiunguiculares, subciliatae, acuminatae; acumen in aristam attenuatum, longitudine fere ipsius bracteae. *Rachis* alternatim excavatus.

CALYX bractea brevior: floriferus patentiusculus, parum extrorsum curvatus; fructiferus fere unguicularis, in cavitate rachidis reconditus, angulatus, latere cavitati rachidis obverso convexo, altero plano marginato.

Stylus calyce duplo longior. *Stigma* leviter bifidum.

SEMINA duo.

A Verbena mutabili *Jacquini* differt: foliis basi sensim in petiolum attenuatis, nec subito acuminatis: bracteis ovatis, in aristam desinentibus, nec lanceolatis acutis: calycibus bractea brevioribus nec longioribus.

VERBENA SCABRA, spicis filiformibus, calycibus fructiferis patulis ovatis, foliis ovatis scaberrimis serratis, supremis alternis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CAULIS herbaceus, erectus, tetragonus, villosus.

FOLIA petiolata, inferiora opposita, suprema alterna, sesquipollicaria, sursum versus sensim minora, ovata, grosse aequaliter serrata, acuta, supra e punctis minutis elevatis scaberrima, secundum nervos lineata, subtus minus scabra, nervis villosa.

Petiolus semiunguicularis.

SPICAE ex axillis supremis, solitariae; terminalis elongatus, basi ramis tribus multo brevioribus, filiformes. *Flores* alterni vel oppositi, copiosi, parvi, approximati. *Bractea* setacea ad basin calycis.

CALYX fructiferus vix semine Sinapis major, angulatus.

STAMINA. . . . . .

SEMINA quatuor, glabra, lineari-triquetra, dorso leviter rugosa.

Affinis Verbenae urticifoliae.

PIPER.

PIPER MICROSTACHYUM, foliis oblongis acuminatis, basi aequalibus, subtus venosis, spicis brevissimis mucronatis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr* ♄

CAULIS ramosus. *Rami* dichotomi, teretes, superne striati, apicem versus oculo armato leviter pubescentes, saepe flexuosi: internodii bi-sive tripollicares; geniculi nodosi.

FOLIA petiolata, tripollicaria, utrinque acuta, laevia, supra obscure venosa, subtus venis tenuissimis.

Petioli vix semiunguiculares, aequales, simplices.

Pedunculi oppositifolii, petiolo parum longiores.

SPICAE pedunculo vix longiores.

Accedit ad Piper rugosum in primo fasciculo descriptum, at folia minora, supra laevissima, subtus quidem venosa, non vero rugosa ut in illo, basi acuta, pedunculi petiolo breviores.

PIPER GRANDE, foliis ovato-oblongis acuminatis multinerviis, basi petiolisque aequalibus.

Ad St. Martham legit *von Rohr* ♄

RAMI striati, glabri, crassitie pennae anserinae: geniculi nodosi; internodii tri- vel quadripollicares.

FOLIA petiolata, alterna, ovato-oblonga, inferiora basi subcordata, semipedalia, pollices sex ad septem lata, tenera, acuminata, utrinque laevia, multinervia: nervi obliqui arcuati, inferiores oppositi, reliqui alterni, venosa, basi aequalia, pallide viridia; suprema latere altero parum angustiora et basin versus oblique decurrentia.

Petiolus pollicaris, absque appendiculo.

Pedunculus oppositifolius, petiolo brevior.

SPICAE internodiis longiores, tri- vel quadripollicares, crassitie fili emporetici. *Flores* minutissimi.

A Pipere macrophyllo Celeb. *Swartzii* differt pedunculis non appendiculatis.

COMMELINA.

COMMELINA SERRULATA, pedunculis axillaribus subsolitariis multifloris, foliis lanceolatis, margine ferrulato-scaberrimis, vaginis ciliatis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

CAULIS erectus, striatus, glaber.

FOLIA lanceolata, attenuata, ad vaginam coarctata, sursum attenuata, quadri- vel quinque pollicaria, latitudine fere pollicis, glabra, ope lentis margine serrulata.

Vaginae pollicares, laxae, ore ciliatae.

Pedunculi ex axillis superioribus, solitarii vel gemini, breves: *partiales* longiores, unguiculares, quinque- vel sexflori; *pedicelli* breves, inaequales. *Squamae* duae, oblongae, aridae, pilosae, ad basin pedunculorum communium, brevissimae.

CALYCIS *foliola* oblonga, acutiuscula, oculo armato pilis rarioribus adspersa.

SCHOENUS.

SCHOENUS BARBATUS, culmo triquetro nudo, involucris subpentaphyllis reflexis foliisque pilosis, capitulo terminali globoso.

Habitat in India occidentali. *von Rohr* 24.

FOLIA radicalia, numerosa, culmo triplo breviora, angusta, carinata, pilosa, e pilis copiosissimis saepe cinerea, interdum glabriora. *Vaginae* margine membranaceae.

CULMI nudi, plures, triquetri, striati, palmares, spithamaei vel pedales, tenues, erecti, saepe valde pilosi.

SPICULAE numerosae, pallide ferrugineae, lanceolatae, sessiles, in capitulo terminali globoso piso duplo majore collectae, juniores hirsutae, adultiores glabrae. *Involucrum* sub capitulo quadri- vel pentaphyllum: *foliolis* subulatis, reflexis, inaequalibus, margine valde pilosis, unicum pollicare, reliquis brevioribus.

Squamae spicularum lanceolatae.

SCHOENUS TRICEPS, culmo triquetro folioso, pedunculis axillaribus terminalibusque, capitulis globosis subternis: intermedio sessili.

Schoenus holoschaenoides: capitulis compacte globosis, submuricatis: uno sessili; caeteris pedunculatis. Act. soc. hist. nat. Paris P. 1. pag. 106.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CULMI erecti, striati, ad vaginas articulati.

Folia inferiora elongata, superiora culmo breviora, carinata, glabra, margine vix scabra. *Vaginae* bipollicares, remotae, striatae, glabrae.

Pedunculi e vagina foliorum, semicompressi: inferiores solitarii; terminales gemini vel terni. *Capitula* tria, raro quatuor, globosa, piso duplo majora: intermedium sessile, reliqua pedunculata. *Pedicelli* patentissimi, pollicares vel minores. *Involucra* setacea, capitulo duplo breviora.

Spiculae copiosae, sessiles, lanceolatae. *Glumae* lanceolatae, carinatae, ferrugineae nitidae.

SCHOENUS polyphyllus, culmo triquetro folioso, foliis carinatis dorso marginibusque scabris, spicis decompositis axillaribus.

Habitat in montserrat. *Ryan.*

Culmus bipedalis vel ultra, erectus, triqueter, totus vaginis foliorum tectus, glaber, apicem versus villosus.

Folia alterna, frequentia, approximata, erecto-patentia, sesquipedalia, superiora culmo altiora, semiunguem lata, canaliculata, subtus carinata, pallide viridia, margine carinaque retrorsum scabra.

Vaginae tubulosae, triquetrae, truncatae, glabrae, striatae, latere folio opposito fuscae.

Spicae e vaginis superioribus, decompositae, erectae, bipollicares, pedunculatae. *Pedunculi* filiformes, triquetri, villosi: *partiales* patentes. *Spiculae* approximatae, alternae, teretiusculae, subulatae, triflorae. *Squamae* lanceolatae: exteriores apicem versus linea elevata in mucronem ultra apicem squamae excurrens.

Semina triquetra.

Habitus Schoeni marisci at folia margine non ferrata: spiculae angustiores, acutae, spicatae.

SCHOENUS rugosus, culmo triquetro folioso, pedunculis corymbosis distantibus, spiculis ovatis acutis, seminibus undulato rugosis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

Culmi plures, erecti, sesquipedales, triquetri, foliosi, glabri, angulis laevibus.

Folia angusta, culmo breviora, carinata, margine laevia, glabra, pallide viridia.

Corymbi ex axillis supremis, tres vel quatuor, alterni, parvi. *Pedunculi* pollicares, folio breviores. Foliola nonnulla subulata ad basin corymbi. *Spiculae* parvae, ovatae, acutae, glabrae, ferrugineae, triflorae. *Squamae* ovatae.

SEMINA oblongo-subrotunda, margine obsoleto cincta, transversim undulato-rugosa, utrinque convexa.

Affinis Schoeno surinamensi, differt vero spiculis ovatis acutis, nec cylindrico-subulatis: squamis ovatis, nec lanceolatis: seminibus flavis rugosis, triplo minoribus, nec nigris laevibus. A Schoeno gracili Celeb. *Swartzii* differt culmo crassiore, foliis latioribus, corymbis non remotissimis, spiculis non tereti-linearibus nec glumis linearibus.

CYPERUS.

CYPERUS APHYLLUS, aphyllus, culmo triquetro basi vaginato, umbella subcomposita involucro diphyllo adaequante, spiculis subternis.

Habitat in insula Trinitatis. *von Rohr.*

CULMI plures, erecti, pedales, tenues, triquetri, basi compressi.

FOLIA nulla, squamae tantum duae vel tres, culmum basi arcte vaginantes, apice obtusae, inferne purpurascentes: inferior unguicularis, superior sesquipollicaris.

UMBELLA terminalis, subcomposita, octo vel novemradiata: *radii universales* pollicares vel minores, capillares; *partiales* gemini, in radiis longioribus. *Spiculae* tres ad quinque, in apice singuli radii, undecimflorae, sessiles, parvae, lanceolatae, compressae, acutae, purpurascentes, dorso virides, vix semiunguiculares. *Squamae* oblongae, obtusae, mucronatae, compressae, carinatae, purpureae, carina virides.

CYPERUS VISCOSUS, culmo compresso basi viscido, foliis asperis apice triquetris. Hort Kew. I. pag. 79.

Cyperus elegans ROTTB. descript. et icon. pag. 34. tab. 6. fig. 4.

Specimina Cyperi viscidi tam a Thouinio quam horto Kew. habui. C. elegantis ab ipso *Rottböllio*, ideoque affirmare audeo eos esse ejusdem Speciei. Sub nomine Cyperi elegantis aliud gramen misit *von Rohr*, cum figura *Sloanaei* Cyperis elegantis Lin. in omnibus fere congruens, nisi quod spiculae plures sessiles in centro umbellae et umbellulae quam in *Rohrii*, hujus descriptionem hic quoque addere lubet.

CYPERUS ELEGANS, umbellulis subtriradiatis subtrispicatis, spiculis linearibus, squamis obcordatis ſubdiſtantibus mucronatis patulis, involucris planis.

Cyperus panicula sparsa ferruginea compressa elegantissima. SLOAN. hist. jam. I. pag. 117. tab. 75. fig. 1.

Cyperus elegans: culmo triquetro nudo, umbella foliosa, pedunculis nudis proliferis, spicis confertis: mucronibus patulis. LIN. Syst. Veget. pag. 97.

In India occidentali legit *von Rohr.*

CULMUS triqueter, striatus, glaber, nudus.

FOLIA plana.

INVOLUCRUM *universale* heptaphyllum: foliola plana, margine retrorsum scabriuscula, coeterum laevia, unicum umbella longius, reliqua vel ejusdem longitudinis vel breviora, semiunguem lata, plana: *partiale* tri-sive tetraphyllum: foliola capillaria, radiis breviora. *Ochreae* brevissimae.

UMBELLA composita: *radii primarii* octo, laxi, longiores quadripollicares, sensim breviores, patentissimi, tenues, compressi, altero latere convexi, altero ſubcanaliculati. *Spiculae* circiter quatuor sessiles in centro umbellae primariae. *Umbellulae* bi-sive triradiatae: *radii* filiformes, divaricati, pollicares vel parum breviores, bi-sive tristachyi, raro monostachyi. *Spiculae* quatuor in centro umbellulae, uti omnes, sessiles, lineares, turgidae, unguiculares, tredecim- vel quindecemflorae. *Flosculi* alterni, parum distantes, patuli: *Glumae* obcordatae, conduplicatae, carinatae, mucronatae, striatae, glabrae, lateribus albidae, carina virides.

SEMINA acute triquetra, glabra, laevia.

CYPERUS SCOPELLATUS, umbellis subhexaphyllis, umbellulae radiis alternis confertis ramosis fasciculatis aphyllis, spiculis lineari-lanceolatis.

Cyperus scopellatus: triqueter, angustifolius: radiis umbellae apice fasciculato-scopaeformibus: spiculis strictis, angusto-linearibus. Act. soc. hist. Nat. Paris. P. I. pag. 106.

Habitat in Martinica. *von Rohr.*

CULMUS erectus, pedalis vel ultra, acute triqueter, striatus, glaber, uti totum gramen, pallide-virens, inferne folioſus.

FOLIA infima disticha, conferta, patentia, bi-sive tripollicaria, glaberrima, rigidiuscula, striata, laevia: duo vel tria inferne in culmo, alterna, structura infimorum, culmo breviora.

Involucrum *universale* quinque vel hexaphyllum: foliola quatuor umbella longiora, longissimum quinquepollicare, reliqua sensim decrescentia, laevia, plana, glabra: *partiale* nullum: *Ochreae* breves, fusco-ferrugineae, bidentatae.

Umbella *universalis* subseptemradiata; *radii* sesquipollicares, sensim minores. *Partialis* radiis alternis, confertis, brevibus, capillaribus, ramosis, fasciculatis.

Spiculae semiunguiculares, lineari-lanceolatae, acutae, circiter tredecimflorae. *Squamae* lanceolatae, acutiusculae, substriatae, late membranaceae, albidae, carina viridi.

FUIRENIA.

FUIRENIA simplex, umbellis simplicibus: radiis ternis quinisve monostachyis, spicis ovato-oblongis, foliis lineari-lanceolatis.

Ad Boca chicam Jamaicae legit *von Rohr.*

Culmi striati, glabri, inferne tetragoni.

Folia remotissima, lineari-lanceolata, sesquipollicaria, vix semiunguem lata, striata, glabra, superiora ciliata.

Vaginae striatae, glabrae, supremae pilosae, folio dimidio breviores. *Ligula* brevis, membranacea, ciliata.

Pedunculi e vagina suprema folii solitarii, terminales plerumque terni, villosi, striati, semiteretes, laterales folio longiores, terminales breviores. *Spicae* in apice pedunculi tres, raro quatuor, intermedius sessilis, reliquae pedicellatae, ovato-oblongae, cylindricae, acutae, pilosae, squarrosae, unguiculares. *Foliola* duo oblonga, brevia, in aristam foliolo duplo longiorem desinentia, sub singula spica, pilosa.

Squama sub singulo flosculo obovata, aristata.

Setae tres loco calycis sub singulo flosculo, longitudine petalorum.

Corolla. *Petala* tria, fusco-ferruginea, glabra, squama breviora, spathulata: *lamina* oblonga, mucronata: *unguis* capillaris, longitudine laminis.

Stamina tria, corolla longiora. *Antherae* erectae.

Germen pedicellatum. *Stylus* unicus, corolla longior. *Stigmata* tria.

Semen triquetrum, glabrum, laeve, angulis acutis.

FUIRENIA obtusiflora, umbellis subcompositis, spicis cylindricis utrinque obtusis squarrosis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

Culmi,

Culmi, Folia, *vaginae*, *pedunculi*, villosi ut in praecedente.

Umbellae *radii* tres vel quatuor, cum spica sessili in centro, interdum simplices monostachyi, interdum unus vel alter tri- vel tetrastachyus, spicis lateralibus pedicellatis, intermediis solitariis sessilibus.

Spicae semipollicares, teretes, utrinque obtusae. *Squamae* ut in congeneribus.

Calyx: *foliola* tria, obcordata, aristata.

Corolla tripetala: *petala* calyce dimidio longiora, lineari-oblonga, carinata, mucrone brevi terminata.

Stamina tria, capillaria, squamis longiora.

Stylus unicus, longitudine Staminum. *Stigmata* tria.

Primo intuitu tam similis priori, ut facile eandem esse crederes, cum vero figura spicarum, praeprimis vero figura petalorum differt, specie esse diversam vix dubito. Quod calyx et corolla in hac specie adsunt, aeque ac in priori si setae tres tamquam foliola calycis considerantur, omnino certus sum. In insequente autem nunquam nisi foliola tria, potius calycis dicenda, quam petala corollae, vidi, quamvis spicas numerosas examinavi, nec aliter flosculum invenit *Rottböllius*, genere tamen non differre suadet structura omnium partium.

FUIRENA umbellata, umbellis compositis, spicis oblongis aggregatis sessilibus; foliis lato-lanceolatis elongatis.

Fuirena umbellata, culmo angulato; foliis lanceolatis, striatis, remotis, floribus umbellatis.

Rottböll descript. et icon. pag. 70. tab. 19. fig. 3.

Fuirena paniculata, pedunculis ramosis, paniculis lateralibus et terminalibus. La Mark.

Tabl. Encycl. pag. 150. Tab. 39.

Misit *von Rohr*.

Gramen altum, erectum.

Culmus articulatus, compresso-tetragonus, lateribus duobus oppositis excavatis angulis exstantibus acutis, duobus planis, glaber, foliosus, pallide virens.

Folia spithamaea vel ultra, sursum sensim minora, internodiis longiora, inferne remota, superne magis approximata, lanceolata, pollicem lata, sensim attenuata, striata, vix scabra.

Vaginae bipollicares, sursum sensim minores, internodiis duplo vel triplo breviores, inferiores glabrae, supremae pilosae. *Ligula* ferruginea membranacea, subciliata.

Pedunculi axillares plerumque gemini, terminales interdum terni, alter longior, villosi, vagina duplo vel triplo longiores, erecti. *Radii umbellae universalis* plerum-

que quinque; laterales gemini, squamis duobus brevibus ferrugineis simul inclusi, intermedius quintus solitarius: *partialis* gemini. *Capitulum* sessile in centro umbellae universalis et partialis.

SPICULAE sessiles, quinque vel sex, aggregatae, oblongae, squarrosae, villoso-cinerascentes. *Squamae* obovatae, concavae, aristatae.

CALYX: *foliola* tria, obcordata.

ARISTIDA.

ARISTIDA CAPILLACEA, panicula contracta elongata capillacea, aristis aequalibus divaricatis nudis.

Aristida capillacea humilis panicula composita capillacea, aristis laevibus divaricatis. LA MARCK. Tableau Encyclop. Botan. pag. 156.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CULMI plures, fasciculati, erecti, spithamaei vel semipedales, inferne subramosi, uninodosi, geniculo interdum infracto, tenuissimi, filiformes, glabri.

FOLIA setacea, glabra, bipollicaria vel breviora.

PANICULA contracta. *Pedunculi* infra medium culmi incipientes, uti pedicelli capillares, inferiores quatuor ex eodem puncto, parum divisi.

SPICULAE parvae, angustissimae. *Aristae* setaceae, unguiculares, glabrae, aequales, flore triplo vel quadruplo longiores, superne divaricatae.

Aristida setacea Cel. *Retzii* differt culmo et omnibus partibus multo majoribus et robustioribus.

CISSUS.

CISSUS RHOMBIFOLIUS, pubescens, foliis ternatis serrulatis: intermedio rhombeo ovato, lateralibus semicordatis.

Habitat in insula Trinitatis. *von Rohr.*

RAMI angulati, uti tota planta villosi.

FOLIA ternata: *foliola* lateralia sessilia, bipollicaria, latere exteriore triplo latiora: intermedium petiolatum, tripollicare, ovato-rhombeum, utrinque attenuatum acutum; omnia vix venosa, tenuissime nervosa.

VIREC-

VIRECTA.

VIRECTA BIFLORA, foliis ovatis, pedunculis bifloris.

Virecta biflora. LIN. Syst. Veget. pag. 197.

VIRECTA PRATENSIS, foliis lanceolatis, pedunculis multifloris.

Sipanea pratensis. AUBL. fl. Guian. pag. 148. tab. 56.

Habitat in Guiana. *von Rohr.*

RAMI teretiusculi, oppositi, adspersi pilis adpressis.

FOLIA petiolata, opposita, pollicaria, basi apiceque acuta, integerrima, utrinque pilis adpressis adspersa, avenia, nervosa, subtus pallidiora.

Petioli brevissimi. *Stipula* utrinque brevis, lanceolata.

Pedunculi ex axillis supremis et apice, oppositi. *Flores* quatuor ad sex in apice pedunculi, vix pedicellati.

CALYX hirtus, superus: *laciniis* linearibus, semiunguicularibus, acutis.

COROLLAE *tubus* calyce duplo longior, extus rare pilosus: *faux* hirsuta. *Limbi laciniae* oblongae.

Germen margine coronatum. *Stylus* superne crassior, longitudine fere limbi. *Stigma* clavatum.

RONDELETIA.

RONDELETIA BUXIFOLIA, foliis obovatis glabris, floribus tetrandris axillaribus solitariis.

Habitat in Montserrat. *Ryan* ♄

RAMI glabri, articulati: *articuli* bipollicares, sursum versus sensim minores, inferiores teretiusculi, superiores compressiusculo-subtetragoni, supremi compresso-ancipites, apice dilatati. *Ramuli* oppositi, patentes, breves.

FOLIA subpetiolata, opposita, pollicaria, obovata, utrinque glabra, nervoso-subvenosa, integerrima, margine parum reflexa, subtus pallidiora, basi acuta, acumine obscuro terminata.

Petioli brevissimi.

PEDUNCULI axillares, solitarii, oppositi, petiolo parum longiores, uniflori, rarissime in axillis ultimis triflori cum folio utrinque parvo, in medio utrinque *bractea* minuta canescens.

CALYX superus: *laciniis* quatuor, linearibus, obtusiusculis, persistentibus, in fructu reflexis.

COROLLAE *tubus* canescens, filiformis, vix unguicularis. *Faux* annulo brevi coronata. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* oblongis, brevibus, obtusis.

STAMINA. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quatuor, lineares, erectae, apice parum ultra tubum porrectae.

PISTILLUM. *Germen* inferum, parvum, oblongum. *Stylus* longitudine tubi. *Stigma* subbifidum: lacinia altera parum breviore.

CAPSULA magnitudine Piperis nigri, globosa, canescens, utrinque sulco exarata, calyce reflexo coronata, bivalvis, bilocularis, disperma.

CONVOLVULUS.

CONVOLVULUS INCARNATUS, foliis sagittatis oblongis acuminatis glabris: lobis divaricatis acutis integerrimis, pedunculis unifloris.

Habitat in Curassao. *von Rohr.*

CAULIS volubilis, uti tota planta, glaber.

FOLIA petiolata, sesquipollicaria, integerrima, tenuissime nervosa, subavenia, subtus subglaucescentia.

Petioli pollicares, filiformes.

Pedunculi petiolo longiores et crassiores, uniflori. *Bracteae* duae, alternae, lanceolatae, parvae, versus basin pedunculi.

CALYCIS *foliola* lanceolata, striata, scariosa, flavescentia, acuta, semipollicaria; exteriora margine scarioso albido; interiora duo parum angustiora.

COROLLA magnitudine Convolvuli purpurei, campanulata.

A Convolvulo arvensi differt auriculis ovatis acutis divaricatis, apice foliorum longe attenuato, bracteis ad basin pedunculorum, floribus majoribus.

A Convolvulo Wheleri auriculis acutis nec rotundatis, foliolis calycinis longioribus acutis nec obtusis.

CONVOLVULUS RUBER, foliis sagittatis glabris emarginatis lobis obtusissimis divaricatis integerrimis, umbellis involucratis, caule piloso.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CAULIS volubilis, adspersus punctis piliferis.

FOLIA

Folia petiolata, bipollicaria, remota, sagittata: auriculis oblongis, obtusissimis, integerrimis, divaricatis, utrinque glabra, venosa, attenuata, obtusa, apice bifida; laciniis obtusis subdivaricatis.

Petioli sesquipollicares, glabri.

Pedunculus axillaris, longitudine folii, petiolo duplo crassior. *Flores* circiter quatuor, umbellati, involucrati, primum subsessiles, demum pedicellati, sensim florentes. *Involucrum* diphyllum: *foliolis* ovatis, membranaceis, glabris. *Pedicelli* pollicares, uniflori. *Bracteae* oblongae, glabrae, ad basin pedicellorum.

Calycis *foliola* membranacea, glabra: duo majora, mucronata; tria minora ab exterioribus tecta.

Corolla Convolvuli purpurei.

CONVOLVULUS ciliatus, foliis cordatis ovatis acuminatis margine villoso-subciliatis, capitulis pedunculatis hirsutissimis involucratis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

Caulis volubilis, pubescens.

Folia petiolata, remota, bipollicaria, sursum minora, in acumine unguiculari producta, acuta, subnervosa, vix venosa, supra glabra, subtus adspersa villis rariş flavescenti-nitidis adpressis, margine parum villosiora, oculo armato subtus minutim punctata.

Petioli filiformes, longitudine foliorum.

Pedunculi axillares, solitarii, petiolo duplo longiores et crassiores, pubescentes. *Flores* plures, sessiles in capitulo. *Bracteae* duae extimae sub capitulo ovato-lanceolatae, attenuatae, longiores: reliquae inter flores lanceolatae, attenuatae, longitudine calycum: omnes pilis ferrugineis adspersae.

Calycis *foliola* subulata, pilis longis ferrugineis nitentibus hirsutissima.

Habitu ad Convolvulum guianensem accedit.

CONVOLVULUS nummularius, villosus, foliis cordatis mucronatis, pedunculis multifloris folio longioribus, calycibus ovatis, bracteis lanceolatis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

Caulis volubilis, teres, uti tota planta villis brevibus vestitus, tamen non incanus.

Folia figura fere Lysimachiae nemorum, petiolata, unguicularia, crassiuscula, integerrima, acuta, mucronata, avenia, nervosa, secundum nervos sublineata.

Petioli

Petioli folio triplo breviores, pedunculo dimidio tenuiores.

Pedunculi axillares, solitarii, folio longiores. *Flores* subumbellati, breviter pedicellati, circiter sex. *Bracteae* lanceolatae.

CALYCIS *foliola* tria exteriora foliacea, late-ovata, acuminata, villosa; duo interiora minora, membranacea, oblonga, acuminata.

COROLLA campanulata, non secta.

Affinis Convolvulo nodifloro *La Marckii*, differt foliis brevioribus minoribus non tomentoso-incanis, pedunculis folio longioribus, foliolis calycinis majoribus inaequalibus.

CONVOLVULUS NODIFLORUS, foliis ovatis subcordatisve subtomentosis, pedunculis bifidis multifloris folio brevioribus.

Convolvulus nodiflorus, foliis ovato acutis subtomentosis mollibus, pedunculis axillaribus multifloris brevissimis. LA MARCK Encycl. 3. pag. 557.

Convolvulus albiflorus. WEST Beskrivelse over St. Croix pag. 271.

Habitat in insula St. Crucis. *Pflug.* Specimina quoque inde misit *West.*

CAULIS, uti tota planta, corollis exceptis, molliter villoso-subtomentosus, volubilis.

FOLIA petiolata, vix pollicaria, ovata, interdum subcordata, integerrima, acuta, acumine brevi terminata, avenia, supra obscure lineata, subtus magis villosa, subincana.

Petiolus folio triplo brevior.

Pedunculus petiolo brevior, apice bifidus: *pedicelli* plures, longitudine pedunculi, capillares, basi bracteati. *Bracteae* subulatae.

CALYCIS *foliola* oblonga, parva, aequalia, pallide ferruginea, margine scariosa, villosula, obtusa.

COROLLA alba, vix unguicularis, campanulata: *limbus* leviter quinquefidus, crenulatus. *Stigma* bifidum.

An Convolvulus verticillatus *Linnaei?* corolla vero non coerulea nec calyces glabri.

CONVOLVULUS QUINQUEPARTITUS, foliis ovato-oblongis obtusissimis emarginatis mucronatis glabris, pedunculis multifloris bifidis.

Convolvulus ovalifolius. WEST Beskrivelse over St. Croix pag. 271.

Habitat in insula St. Crucis. *West.*

CAULIS volubilis, tenuis, ramosus, ope lentis vix villosus: *ramuli* canescentes.

FOLIA

Folia breviter petiolata, pollicaria vel minora, crassiuscula, ovato-oblonga, extrorsum versus sensim angustata, utrinque rotundata, apice emarginata cum mucrone, supra enervia avenia, subtus nervosa, pagina utraque glabra, integerrima: tenella vix villosa.

Petioli supra canaliculati.

Pedunculi, uti pedicelli canescentes, axillares, solitarii, plerumque folio breviores, rarius longitudine ejusdem, bifidi: *rami* singuli subsexflori. *Flores* parvi. *Bracteae* minutae.

Calycis *foliola* glabra, ovata, ferruginea, aequalia.

Corolla campanulata, semiunguicularis, glabra, profunde quinquefida.

Stylus longitudine corollae. *Stigma* capitatum, bilobum.

Ad Convolvulum parviflorum *La Marckii* accedit, folia vero in mea planta nec quoad figuram nec ad magnitudinem conveniunt cum figura *Plumeri*, praeterea folia non basi cordata vel modice tomentosa, basi enim rotundata sunt et utrinque glabra, descriptio autem floris satis quadrat.

CONVOLVULUS cissoides, foliis quinato-digitatis oblongis dentatis glabris, caule petiolis pedunculisque subunifloris hispidis.

Convolvulus cissoides, hirsutus: foliis quinato-digitatis dentatis; pedunculis subtrifloris, folio brevioribus, calyce hispido. La Marck. Tableau Encyclop. pag. 462.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

Caulis volubilis, teres, pilis longis patentissimis adspersus.

Folia petiolata, remota: *foliola* sessilia, oblonga, utrinque acuta, mucronata, obtuse dentata, basin versus integerrima, oculo armato margine villis minutis adspersa, tenuissime nervosa: intermedium vix pollicare, reliquis latius; lateralia sensim minora.

Petioli pollicares.

Pedunculi longitudine petioli. *Bracteae* duae, parvae, lineares, versus apicem pedunculi.

Calyx *foliolis* lanceolatis, basi pilis longis raris hispidis.

Corolla pollicaris, glabra.

CONVOLVULUS quinquefolius, foliis digitatis lanceolatis dentatis glabris, pedunculis subtrifloris.

Convolvulus quinquefolius glaber americanus. Plukn. alm. 116. tab. 167. fig. 6.

Convolvulus pentaphyllos, folio glabro, dentato, viticulis hirsutis. PLUM. Cat. pag. 1. Ic. pag. 80. tab. 91. fig. 2.

Convolvulus quinquefolius, foliis digitatis glabris dentatis, pedunculis laevibus. LIN. Syst. Veget. pag. 202. SWARTZII observat. pag. 63.

Convolvulus quinquefolius, foliis digitatis, glabris, dentatis; caule hispido; pedunculis multifloris. LA MARCK. Encycl. 3. pag. 566.

CAULIS striatus, parum infra et supra insertionem foliorum punctis minutis muricatus, quibus insident pili longi, coeterum inter folia glaber.

FOLIUM intermedium sesquipollicare, reliqua sensim decrescentia.

Pedunculi plerumque triflori: *pedicellus* intermedius crassior, brevior, ebracteatus. *Bracteae* duae ad apicem pedunculi et duae sub floribus lateralibus.

CONVOLVULUS OVALIFOLIUS, glaber, foliis ovalibus integerrimis emarginatis, pedunculis uni- ad septemfloris, calycibus obovatis.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.* ♄

CAULIS fruticosus, erectus, teres, laevis, glaber, uti tota planta.

FOLIA petiolata, pollicaria vel ultra, integerrima, basi acuta, apice obtusissima cum emarginatura, obsolete nervosa, avenia, laevia.

Petioli semiunguiculares.

Pedunculi axillares, solitarii, filiformes, folio dimidio breviores, infimi uniflori, sequentes bi- tri- quadri- quinque- vel septemflori: *pedicelli* umbellati, semiunguiculares, angulati, versus florem crassiores, angulati. *Bracteae* duae tres vel quatuor ad basin pedicellorum, minutae.

CALYX obovatus: *foliola* tria exteriora late-ovata, acuta, vix semiunguicularia; interiora breviora, oblonga, acuta.

SOLANUM.

SOLANUM RADULA, foliis lanceolato-ellipticis supra scaberrimis subtus cymisque terminalibus pedunculatis tomentosis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis. *Rami* teretes, scaberrimi, uti folia subtus, pedunculi, calyces corollaeque extus, flavescenti-incani.

FOLIA

Folia basi in petiolum attenuata, bi- sive tripollicaria, frequentia, sparsa, acuta, integerrima, inermia, avenia, nervosa: supra secundum nervos lineata, punctis minutis elevatis numerosis scaberrima; subtus scabriuscula.

Pedunculus terminalis, solitarius, cum ramulo ulterius excrescente, scaber, erectus, tri- vel quadripollicaris.

Cyma bis vel ter bifida. *Flores* parvi.

Calycis *laciniae* ovatae.

Corolla profunde quinquefida: *laciniis* ovatis.

SOLANUM asperum, foliis lanceolato- ellipticis glabris supra scabriusculis, cymis terminalibus tomentosis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Caulis fruticosus, inermis. *Rami* cicatricati, superne oculo armato stellato-pubescentes.

Folia versus apices ramorum, approximata, sex- vel septempollicaria, utrinque attenuata, inermia, integra, integerrima: supra nervosa, avenia, scabriuscula; subtus pallidiora, minus scabra, obscure venosa: adultiora fere glabra, costa solum et nervi villis stellatis adspersi, oculo armato tantum videndis.

Cyma terminalis, pedunculata, dichotoma. *Pedunculi*, calyces et corolla extus e pilis stellatis incani.

Calycis *laciniae* ovatae.

Corolla vix unguicularis: *laciniae* oblongae, acutae.

SOLANUM rubiginosum, ferrugineo tomentosum aculeatum: aculeis recurvis, foliis ellipticis integerrimis supra glabris, cymis terminalibus.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Caulis fruticosus, erectus. *Rami* teretes, recti, ferrugineo-tomentosi, uti petioli et costa foliorum subtus aculeati: *aculei* sparsi, parvi, glabri, nitidi, recurvi.

Folia petiolata, alterna, tri- vel quadripollicaria, elliptica, integra, integerrima, acuminata, acuta, basi subaequalia obtusa, venosa: juniora supra villoso-punctata, punctis stellatis; adultiora nuda subnitida, vix scabra, subtus tomento flavescenti tecta, costa et nervi ferruginei.

Petioli pollicares, angulati, ferruginei.

Cyma terminalis, pedunculata, bifida, pauciflora. *Pedunculus* communis angulatus. *Pedicelli* in racemo revoluto, uti calyces et corollae extus ferrugineo-canescentes.

Calycis *laciniae* lineari-lanceolatae.

Corolla profunde quinquefida: *laciniae* lineari-lanceolatae.

V I O L A.

VIOLA linarifolia, suffruticosa, ramosa, foliis lineari-lanceolatis oppositis alternisque subintegerrimis glabris, pedunculis axillaribus solitariis. West. Beskrivelse over St. Crux pag. 303.

Habitat in insula St. Crucis. *West.*

Caulis spithamaeus vel parum ultra, parum ramosus, glaber.

Folia sessilia, remota, inferiora opposita, suprema alterna, vix pollicaria, lineari-lanceolata, glaberrima, subtus pallidiora, obtusiuscula, plerumque integerrima, interdum extrorsum versus serratura una alterave remota.

Stipulae duae utrinque, setaceae, patentes.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, inferiores oppositi, supremi alterni, folio duplo vel triplo breviores, filiformes, supra medium geniculati, infra geniculum flore deciduo persistentes spiniformes. *Bractea* minuta versus basin pedunculi.

Calyx postice aequalis: *foliolis* lanceolatis attenuatis, margine albicantibus.

Corollae *petalum* inferius lineare.

A Viola enneasperma differt caule suffruticuso, foliis integerrimis.

A Viola suffruticosa foliis remotis, oppositis.

Collocanda prope Violam suffruticosam.

E C H I T E S.

ECHITES subspicata, foliis oblongis attenuatis basi subcordatis floribusque subspicatis axillaribus glabris.

Habitat in America australi. *von Rohr.* ♄

Caulis volubilis. *Rami* teretes, glabri, laeves.

Folia petiolata, opposita, integerrima, patentissima, quadri- vel quinque pollicaria, venosa, utrinque glabra, supra nitida; juniora subtus costa purpurascentia.

Petiolus unguicularis, ope lentis supra parum villosus.

Pedun-

Pedunculi axillares, solitarii, alterni, longitudine fere folii, rigidi, sursum incrassati, crassitie rami, glabri. *Flores* versus apicem pedunculi, approximati. *Pedicelli* brevissimi. *Bracteae* membranaceae, fuscae, margine pallidiores, lineari-lanceolatae, calyce longiores.

Calycis *laciniae* lanceolatae, glabrae.

Corolla glabra. *Tubus* pollicaris, superne versus faucem incrassatus.

ECHITES nitida, foliis oblongo-lanceolatis basi subcordatis glabris supra nitidis, racemis axillaribus oppositis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Caulis volubilis. *Rami* teretes, glabri, substriati.

Folia petiolata, opposita, tri- vel quadripollicaria, integerrima, acuta cum mucrone brevissimo, membranacea, utrinque glabra, pulchre transverse nervosa, oblique venosa inter nervos, supra nitida, subtus glauco-ferruginea, praesertim versus basin, basi rotundata cum sinu parvo.

Petiolus unguicularis, glaber, purpurascens.

Racemi axillares, solitarii, oppositi, longitudine folii. *Pedunculus communis*, glaber, rigidus, petiolo crassior. *Pedicelli* filiformes, oppositi, vel duo ex eodem puncto, circiter quindecim, distantes, unguiculares, glabri, sub flore parum crassiores. *Bracteae* parvae ad basin singuli pedicelli.

Calycis *laciniae* breves, lineares, obtusae, glabrae.

Corolla bipollicaris, alba: *tubo* inferne angustato, sursum sensim ampliato.

Filamenta brevissima. *Antherae* rostratae.

ECHITES paludosa, foliis lanceolato-oblongis glabris, umbellis axillaribus terminalibusque pedunculatis, pedunculo elongato.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Rami teretes, glabri, laeves, dichotomi, purpurascentes.

Folia petiolata, opposita, bi- sive tripollicaria, lanceolato-oblonga, facie omnino Hyperici monogyni, superiora lineari-lanceolata, integerrima, obtusa, mucronata, utrinque glabra, supra avenia, subenervia: subtus oblique tenuissime nervosa, costa fusco-purpurascentia.

Petiolus semiunguicularis.

UMBELLAE primum terminales cum ramulo, demum ramulo excrescente laterales, pedunculatae, solitariae, tri- vel quadriflorae. *Pedunculi communes* teretes, glabri: laterales quinquepollicares, crassitie rami; terminales breviores, tenuiores. *Pedicelli* unguiculares, glabri. *Bracteae* duae minutae ad basin pedicellorum.

CALYCIS *laciniae* glabrae, oblongae, mucronatae, breves.

COROLLA sesquipollicaris, glabra. *Tubus* superne ampliatus.

FOLLICULI teretes, glabri, tenues, subtripollicares.

PLUMERIA.

PLUMERIA ARTICULATA, foliis ellipticis glabris venosis, spicis articulatis subfasciculatis.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

RAMI glabri, teretes, crassi.

FOLIA versus apicem, petiolata, sparsa, elliptica, basin versus sensim parum angustata, utrinque obtusa, apice parum acuminata, integerrima, pagina utraque glabra, subtus pallidiora.

Pedunculi universales terminales, saepe gemini, glabri, elongati: *partiales* subfasciculati, interdum tres vel quatuor, interdum octo, simplices, tri- vel quadripollicares, flexuosi, articulati: *articuli* semiunguiculares, turbinati, superne margine parum dilatati, glabri; denticuli, plures ad basin singuli articuli, minuti.

FLORES alterni, sessiles.

TABERNAEMONTANA.

TABERNAEMONTANA UNDULATA, foliis lanceolato-ellipticis acuminatis undulatis, ramis dichotomis, floribus subcymosis, folliculis laevibus.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

RAMI glabri, teretiusculi, sub foliis obscure tetragoni, superne pallide-virides.

FOLIA petiolata, opposita, quinquepollicaria, opposito parum minore, in acumine pollicari producta, basi acuta, undulata, utrinque glabra, supra laete viridia, obscure nervosa, sulco longitudinali in medio folii; subtus pallida, avenia, transversim nervosa: nervi plurimi, distantes, uti costa, flavescentes.

Petiolus vix semiunguicularis. *Stipula* margo brevis, ramum cingens, demum evanescens.

Pedun-

Pedunculi primum terminales, demum axillares, solitarii, semiunguiculares, bifidi: *ramulus* singulus tri- vel quadriflorus. *Flores* brevissime pedicellati, sesquipollicares, glabri.

Calyx brevis, quinquefidus: *Laciniae* rotundatae, aequales, crassae.

Corolla. *Tubus* pollicaris, teres, supra medium incrassatus, dein angustatus, subcarnosus. *Limbi laciniae* lineares, obtusae, erectae, incurvae, parum tortae, e lateribus reflexis conduplicatae. *Faux* glabra.

Nectarium glandula carnosa, indivisa, germina cingens.

Stamina. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* parum supra medium tubi subsessiles, lineares, angustissimae, acutae, fauce breviores.

Pistillum. *Germina* duo, ovata, parva. *Stylus* unicus, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, mucronatum, basi membrana minuta cinctum.

Folliculi duo, sesquipollicares, reflexae, utrinque parum incurvi, oblongo-triquetri: dorso convexo, medio sulco exarato, linea utrinque elevata marginato: lateribus planis: ventre rotundato, recto; basi obtusi, apice acutiusculi.

Semina quadruplici serie, horizontalia, striata, fusca, altera extremitate suturae obversa sensim angustata, acuta, altera versus apicem declivia, latiora, apice ipso oblique transversa, margine acuto. *Umbilicus* ventralis, versus apicem acutiorem, pedicello obvertens. *Arillus* incompletus, carnosus, irregularis, compressus, versus umbilicum crassior.

Differt a Tabernaemontana discolori: pedunculis multifloris, pedicellis brevissimis, laciniis calycinis obtusis, floribus magnis, antheris linearibus.

A Tabernaemontana grandiflora: laciniis calycinis aequalibus.

A Tabernaemontana cymosa: cymis paucifloris, laciniis calycinis rotundatis, tubo corollae basi aequali.

A Tabernaemontana echinata *Aublaetii:* folliculis non echinatis.

TABERNAEMONTANA NERIIFOLIA, foliis lanceolatis oppositis, floribus subracemosis axillaribus.

Habitat in Portoricco. *von Rohr.* ♄

Rami dichotomi, superne e casu foliorum approximate cicatricati, glabri, teretes.

Folia petiolata, opposita, bi-sive tripollicaria, subaequalia, utrinque acuta, glaberrima, laevissima, avenia, transversim remote tenuissime & obsolete nervosa, integerrima, vix undulata, subtus pallidiora.

Petiolus semiunguicularis.

Pedunculi axillares, solitarii, petiolo duplo longiores, tri- vel quadriflori. *Pedicelli* alterni, vix semiunguiculares. *Bractea* minuta, linearis, ad basin pedicelli, decidua.

Calyx glaber: *laciniis* oblongis, acutis.

Corolla semipollicaris: *laciniae* tubo longiores, subcuneiformes, glabrae, basi intus vix pubescentes.

Antherae quinque, ultra tubum corollae prominentes, rostratae.

Tabernaemontana persicariaefolia *Jacquini* affinis est, sed differt: foliis subtus subvenosis: pedunculis bifidis ramis tri- vel quinquefloris, tubo corollae duplo crassiore.

TABERNAEMONTANA HETEROPHYLLA, foliis elliptico-lanceolatis subcordatisque subundulatis acuminatis utrinque glabris, ramis dichotomis, floribus racemosis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Rami teretes, glabri, dichotomi, laeves.

Folia opposita ad singulam dichotomiam et par unicum inter dichotomias: alterum tri- vel quadripollicare, breviter petiolatum, elliptico-lanceolatum: alterum oppositum sub dichotomia multoties brevius, sessile, subcordatum, vel ut inter dichotomiam, tantum parum brevius, structura alterius, sessile, altero latere baseos breviore; omnia acuminata, acumine semipollicari, acuta, e margine parum reflexo et undulato obscure crenata, avenia, remote nervosa, subtus pallidiora.

Pedunculi in dichotomiis et apicibus ramorum, quinque- ad septemflori, solitarii, filiformes, pollicares, glabri. *Pedicelli* alterni, approximati, pedunculo communi parum breviores, uniflori. *Bracteae* minutae, geminae, ad pasin pedicellorum.

Calyx glaber, parvus: *laciniis* lineari-lanceolatis.

Corolla semipollicaris: *tubo* lineari, angusto, basi parum amplior. *Laciniae limbi* lanceolatae, tubo triplo breviores. *Faux* villis nonnullis sericeis.

Sub nomine Tabernaemontanae echinatae misit *von Rohr*, dissentit vero tam cum descriptione quam cum figura Tabernaemontanae echinatae *Aublaetii*: forte quod et in hac specie folliculi echinati sunt, Celeb. inventor credidit eam esse Tabernaemontanam echinatam *Aublaetii*.

TABERNAEMONTANA ODORATA, foliis lanceolato-ellipticis acuminatis glabris, umbellis axillaribus subsessilibus subquadrifloris.

Cameraria Tamaquarina: foliis ovato-oblongis, acuminatis, floribus amplis, luteis, odoratis. Aubl. fl. Guian. pag. 260. tab. 102.

Habitat

Habitat in Surinamo. *von Rohr.* ♄

Rami dichotomi, teretes, glabri, fusco-purpurascentes. *Ramuli* compressi, lateribus duobus oppositis sulco exaratis.

Folia breviter petiolata, opposita, quadri- vel quinquepollicaria, opposito minore, basi apiceque acuta, obsolete venosa, supra subnitida, suprema subtus saepe subrufescentia, utrinque glaberrima, margine plana, integerrima.

Petiolus semiunguicularis. Loco *stipulae* margo utrinque, inter petiolos.

Pedunculi ex altera axilla, brevissimi, solitarii. *Pedicelli* quatuor, interdum tres, pollicares, filiformes, purpurascentes, glabri, ebracteati, uniflori.

Calycis *laciniae* subulatae.

Corolla unguicularis: *laciniae* lineari-lanceolatae, tubo longiores, intus basi canescentes. *Tubus* sursum sensim angustatus.

Ex auctoritate *von Rohrii*, qui forte fructum vidit *Aublaetio* ignotum, Tabernaemontanae speciem dixi.

CYNANCHUM.

CYNANCHUM altissimum, foliis cordatis oblongis acuminatis utrinque molliter villosis, umbellis lateralibus pedunculatis.

Cynanchum altissimum: caule volubili, foliis cordatis, utrinque tomentosis: floribus umbellatis. Jacqu. Hist. Amer. pag. 84. tab. 57.

Misit *von Rohr.* ♄

Rami teretes, superne tomentoso-cinerei.

Folia petiolata, opposita, palmaria vel ultra, cordata, oblonga, acuminata, integerrima, venosa, utrinque villosa, mollia: glandulae obscurae supra ad insertionem petioli.

Petioli bi-pollicares, tomentosi.

Reliqua vide apud *Jacquinum* l. c.

CYNANCHUM denticulatum, foliis cordatis oblongis acuminatis denticulatis, pedunculis trifloris, petalis lanceolatis planis, caule hirto.

Habitat in Guiana. *von Rohr.*

Caulis volubilis, teres, crassitie fili emporetici, retrorsum hirtus.

Folia petiolata, opposita, sesquipollicaria, cordata: sinu oblongo aperto, oblonga, extrorsum sensim parum dilatata, acuminata, denticulata, subciliata, glabriuscula, exceptis costa et venis, venosa, subtus pallidiora et magis venosa.

Petioli filiformes, sesquipollicares, rare pilosi.

Pedunculi axillares, solitarii, unguiculares, pilosiusculi, plerumque triflori. *Pedicelli* umbellati, uniflori, pedunculo longiores, angustiores.

Calycis *laciniae* lanceolatae, acutae, brevissimae.

Corolla rotata, ante explicationem oblonga, acuminata, vix villosa: *laciniae* lanceolatae, viridi-flavescentes, unguiculares, tenerae, substriatae, ciliatae.

Cynanchum rostratum Symb. bot. 3. pag. 45. differt: foliis integerrimis, pilosioribus, subtus punctatis: petiolis pilosioribus: laciniis calycinis ovatis majoribus: corollis ante explicationem in acumen duplo longius attenuatis, laciniis angustioribus, crassioribus, atro-purpureis: coeterum quoad folia simillimum.

CYNANCHUM hirsutum, hirsutum, foliis cordatis oblongis sinu aperto, laciniis corollae rotundatis glabris.

Habitat in insula Trinitatis. *von Rohr.*

Tota planta, corolla excepta, e pilis flavescentibus hirsuta.

Rami teretes.

Folia petiolata, opposita, tri- vel quadripollicaria, oblonga, basi cordata, sinu oblongo, extrorsum dilatata, inferne versus sensim parum angustata, integerrima, acumine brevi terminata, supra simpliciter venosa, subtus venis ramosioribus.

Petioli fere pollicares.

Calycis *laciniae* ovatae, acutae, corolla parum longiores, tenuissime nervosae.

Corolla rotata, utrinque glabra: *laciniis* rotundatis, planis.

CYNANCHUM pictum, foliis oblongis glaberrimis nitidis, umbellis axillaribus pedunculatis, laciniis corollae intus apice villosis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Caulis volubilis, teres, subtilissime striatus, glaber.

Folia opposita, petiolata, sesquipollicaria, subacuminata, utrinque glaberrima, integerrima, supra nitida, obscure nervosa, avenia, basi obtusissima; subtus pallide viridia, simpliciter venosa, nervis et venis purpurascentibus.

Petioli purpurascentes, unguiculares.

Pedunculi axillares, solitarii, petiolo longiores, filiformes. *Pedicelli* ad apicem pedunculi, conferti, subumbellati, capillares, tres vel quinque, pedunculo longiores. *Bracteae* ad basin pedicellorum, minutae.

CALYCIS *laciniae* ovatae, obtusae, glabrae, corolla breviores.

COROLLAE *laciniae* ovatae, acutae, extus glabrae, intus apice villoso-canescentes.

PRINOS.

PRINOS DIOICUS, foliis oblongo-ovatis subserratis glabris coriaceis, pedunculis axillaribus subunifloris, floribus dioicis tetrandris.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

RAMI crassitie pennae cygneae, cortice griseo, punctis rarioribus elevatis adspersi, inferne teretes, apicem versus angulati: *ramuli* alterni, fusco purpurei, glabri, subangulati, apice compressi.

FOLIA petiolata, frequentia, alterna, pollices duos lata; in mare saepe rotundiora, acumine brevi terminata; in foemina oblongo-ovata interdum emarginata, omnia margine parum reflexa, remote obsolete serrata, basin versus integerrima, utrinque glabra, venosa, supra vix nitida, subtus pallida punctisque minutis elevatis adspersa.

Petioli fusco-purpurascentes, unguiculares, subtus carinati.

MAS. PEDUNCULI axillares, plures, circiter viginti, longitudine petioli, plurimi triflori, nonnulli uniflori. *Pedicelli* brevissimi.

CALYX minimus, quadrifidus.

COROLLA. *Petala* quatuor, oblonga.

STAMINA. *Filamenta* quatuor, patentia, longitudine petalorum. *Antherae* subrotundae.

PISTILLUM rudimentum *Germinis*, depressum, striatum. *Stylus* nullus. *Stigma* nullum.

FOEMINA. PEDUNCULI pauciores quam in mare, breviores, omnes uniflori. *Flores* parum majores.

CALYX et COROLLA ut in mare.

STAMINA. *Filamenta* quatuor. *Antherae* effaetae.

PISTILLUM. *Germen* oblongum, obtusum.

PRINOS NITIDUS, foliis oblongo-ovatis serratis nitidis membranaceis, pedunculis axillaribus unifloris, floribus tetrandris.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI angulati, glabri, apice compressiusculi, fusco-purpurascentes.

FOLIA petiolata, alterna, bi-sive tripollicaria, pollices duos saepe lata, parum acuminata, obtusiuscula, remote obsolete serrata, basin versus integerrima et saepe acuta, membranacea, utrinque glaberrima, venosa, supra nitida, subtus pallidiora, impunctata.

Petioli unguiculares, fusci.

Pedunculi axillares, quinque vel sex, longitudine petioli, omnes uniflori, glabri, fusci.

CALYX quadrifidus: *laciniis* ovatis.

COROLLA. *Petala* quatuor, ovata, patentia, demum reflexa.

STAMINA. *Filamenta* quatuor, erecta, petalis parum longiora. *Antherae* oblongae, erectae.

PISTILLUM. *Germen* subrotundum. *Stylus* fere nullus. *Stigma* acutum.

BACCA ovata, subrotunda, magnitudine Piperis nigri.

Affinis Prin. dioicae, differt ramis floriferis tenuioribus fuscis nec albidis: foliis tenuioribus, magis lucidis, basin versus plerumque angustatis et acutis: pedunculis paucioribus, omnibus unifloris: floribus duplo majoribus hermaphroditis.

GUETTARDA.

GUETTARDA PARVIFLORA, foliis oblongis glabris laevibus, pedunculis trifloris subpentandris.

EDECHI LOEFLINGII iter pag. 259 et pag. 271 secundum *von Rohr.*

Habitat in insula St. Crucis. *von Rohr*, *Pflug* et *West*, in Montserrat *Ryan.* ♄

Arbuscula sedecimpedalis.

RAMI teretes, apice subtetragoni, oppositi, glabri, fusco-purpurascentes, punctis elevatis griseis adspersi, aphylli.

FOLIA in ramulis ad apicem, conferta, quatuor vel sex, breviter petiolata, opposita, ovalia vel oblonga, integerrima, obtusa vel acutiuscula, membranacea, utrinque glabra excepto costa et nervis, vix venosa, pollicaria vel minora, opposito saepe minore.

Stipula utrinque, interpetiolaris, minuta, subulata, evanescens.

Pedunculi in axillis foliorum, capillares, folio breviores, plerumque triflori: *flos* intermedius sessilis, laterales breviter pedicellati; *pedicelli* laterales raro iterum bi-sive triflori.

Calyx monophyllus, superus, tubulatus, obscure bifidus.

Corolla monopetala, hypocrateriformis. *Tubus* tenuis, villoso-incanus, calyce duplo longior, semiunguicularis. *Limbus* ut plurimum quinquepartitus, interdum sexpartitus: *laciniis* oblongis, obtusis, basi marginibus reflexis, crassiusculis, extus incanis.

Stamina. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quinque vel sex, lineares, superne in tubo.

Pistillum. *Germen* inferum, parvum, oblongum. *Stylus* filiformis, tubo parum longior. *Stigma* capitatum.

Drupa magnitudine fere pisi, globosa, subumbilicata. *Putamen* tetragonum, angulis exstantibus, quadriloculare: *loculis* monospermis.

Floret mense Septembris ex observatione Dn. *West*, qui quoque descriptionem partium fructificationis mecum communicavit.

ISERTIA.

ISERTIA coccinea, foliis lanceolato-ellipticis subtus villoso-incanis acuminatis utrinque acutis, pedunculis racemosis bifidis.

Guettarda coccinea, folio amplissimo, ovato, acuto; florum racemis erectis, terminalibus; fructu coccineo. Aubl. flor. Guianens. I. pag. 317. tab. 123.

Isertia Lin. Gener. ed. Schreb. pag. 234.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

Rami stricti, recti, superne obtuse tetragoni, striati, sordide cinerei, subtomentosi.

Folia petiolata, opposita, patentia, semipedalia, pollices quatuor vel quinque lata, in acumine pollicari attenuata, basi apiceque acuta, integerrima: supra remote oblique tenuissime nervosa, inter nervos simpliciter obscure venosa, glabra subnitida; subtus pilis stellatis villoso-tomentosa, incana, mollia, nervis exstantibus.

Petioli sesquipollicares, subtus convexi, supra canaliculati, cinerei.

Stipula utrinque inter petiolos, membranacea, lanceolata, bipartita, ferruginea, substriata, glabra, excepto basi in costa, fere pollicaris.

Racemus terminalis, erectus. *Pedunculus communis* tetragonus: *partiales* compresso tetragoni, pollicares, oppositi, infimi interdum terni; inferiores bis dichotomi, superiores semel divisi; *pedicelli* triflori, unguiculares, uti pedunculi cinerei. *Flos* in

singula

singula dichotomia, uti intermedius terminalium sessilis: laterales pedicellati. *Bractea* utrinque ad basin pedunculorum et pedicellorum, lanceolata.

CALYX superus, villoso-tomentosus: *laciniis* quatuor, ovatis, acutis, intus glabris.

COROLLA fere bipollicaris, extus flavescenti-cinereo tomentosa. *Limbus* pilis longis, densis hirtus. *Tubus* intus glaber.

STAMINA. *Filamenta* sex in fauce tubi, brevissima. *Antherae* erectae, lineares, compresso-triquetrae, apice mucronatae, limbo parum breviores.

PISTILLUM. *Germen* inferum, obconicum. *Stylus* filiformis longitudine corollae. *Stigma* oblongum, compresso tetragonum, indivisum.

ISERTIA PARVIFLORA, foliis oblongis: inferioribus basi subcordatis, thyrso ovato.

Habitat in Insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

RAMI tetragoni, crassitie fere pennae cygneae, stricti, e pilis copiosissimis brevissimisque rufo-cinerascentes: *ramuli* cinerei, basi tubulo unguiculari quadrifido vaginati, oppositi.

FOLIA petiolata, opposita, semipedalia, palmam lata, oblonga, inferne versus parum angustata; inferiora basi sinu subcordata, auriculis rotundatis; duo suprema basi obtusa: tenella utrinque acuta, omnia acuminata, acuta, firma, plerumque utrinque glabra excepto costa et nervis subtus, interdum subvillosa, venosa, supra nitida, secundum nervos transversim remote lineata, subtus pallide viridia, nervis costata: costis subpurpurascentibus.

Petiolus teretiusculus, sesquipollicaris. *Stipula* utrinque, bipartita: *laciniis* lanceolatis, attenuatis, pollicaribus, erectis.

THYRSUS terminalis, ovatus, spithamaeus. *Pedunculus communis* strictus, rigidus, angulatus, villoso-subtomentosus. *Pedunculi partiales* inferne saepe quaterno verticillati, infimi remotiores, duo inferiores interdum oppositi, superiores sparsi, approximati, dichotome quinquies divisi, villosi, superne compressiusculi: rami glabriusculi, compressiusculi, altero latere convexiores, altero planiores subcanaliculati. *Flores* dichotomiae sessiles, solitarii: terminales terni. *Bractea* utrinque sub singula ramificatione et ad basin calycis, ovata, acuminata, glabra, ferruginea, rigida.

CALYX margo superus, persistens, brevis, quadridentatus: *dentibus* duobus parum majoribus.

Corolla monopetala, hypocrateriformis, unguicularis, extus glabra. *Limbus* sexfidus: *laciniis* linearibus, obtusis, hirsutis, apicibus nudis. *Tubus* interne hirsutissimus.

Stamina. *Filamenta* sex, in medio tubi, brevissima. *Antherae* lineares, longitudine tubi.

Pistillum. *Germen* inferum, obconicum, supra glandula glabra convexa coronatum. *Stylus* filiformis, glaber, longitudine tubi corollae. *Stigma* crassum, altero latere planum subconcavum, altero convexum cum linea acuta elevata longitudinali.

Pomum magnitudine pisi, globosum, calyce et glandula germinis coronatum, quinque- vel sexloculare: *loculis* extus convexis, longitudinaliter torosis, axi adnatis.

Generi Guettardae affinis.

TALISIA.

TALISIA hexaphylla, racemis simplicibus, calycibus petalis aequantibus.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Arbor. *Rami* teretes, crassitie pennae cygneae, cortice cinereo, e punctis elevatis numerosissimis inaequales, glabri: *ramuli* alterni, patentissimi.

Folia petiolata, alterna, pinnata cum pari, bi-five trijuga: *foliola* breviter petiolata, opposita vel alterna, oblonga vel lanceolato-oblonga, acuminata, integerrima, utrinque glabra, supra vix venosa, subtus tenuiffime venosa et nitida, consistentia foliorum lauri, quadri- vel sexpollicaria, interiora parum minora.

Petiolus teretiusculus, mucrone terminatus: *partialis* vix semiunguicularis.

Racemi in ramis, supra cicatriculam petioli, aggregati, saepe octo, simplices, bi-sive tripollicares. *Flores* geminati, alterni, polygami.

Flos hermaphroditus.

Calyx. *Perianthium* monophyllum, campanulatum, quinquefidum: *laciniis* lanceolatis, obtusiusculis, oculo armato pubescentibus, longitudine corollae.

Corolla duplex, utraque pentapetala. *Petala exteriora* unguiculata, linearia, glabra, calyce dimidio longiora, apice patula: *interiora* medio petalorum exteriorum inserta, longitudine et latitudine exteriora aequantia, latere interiore rufo-villosa.

Nectarium margo inter corollam et stamina.

Stamina. *Filamenta* octo, petalis duplo breviora, germini adpressa. *Antherae* parvae, oblongae, erectae.

PISTILLUM. *Germen* superum, ovatum, villosum, incanum. *Stylus* unicus linearis, corolla parum brevior. *Stigma* leviter emarginatum.

MAS similis hermaphrodito, absque germine.

Differt ab insequente, pinnis paucioribus, magis approximatis, angustioribus, venis obsoletis, minus acuminatis.

TALISIA ROSEA, racemis decompositis, calycibus petalis brevioribus.

Talisia guianensis. AUBL. fl. guian. pag. 349. tab. 136.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

RAMI angulati, fusco-purpurascentes.

FOLIA bipedalia, petiolata, alterna, pinnata cum pari, sexjuga: *foliola* petiolata, inferiora alterna, superiora opposita, elliptica, acuminata, integerrima, utrinque glabra, tenuissime venoso-subreticulata, subnitida, quinque- vel sexpollicaria, subaequalia. *Petiolus communis* teres, fusco-purpurascens, glaber, mucrone terminatus: *partiales* vix unguiculares, crassi.

PANICULA terminalis, racemosa, patens, semipedalis. *Pedunculi* universales et partiales angulati. *Foliola* plura ad basin pedunculi universalis, solitaria ad partiales, subulata, infima fere pollicaria serrato-dentata; dentibus tomentosis, an rudimenta foliorum.

FLORES polygami. *Hermaphroditi.*

CALYX quinquepartitus: *laciniae* oblongae, oculo armato pubescentes, obtusae, corolla triplo breviores.

COROLLA duplex, utraque pentapetala. *Petala exteriora* lineari-oblonga, obtusa, plana, utrinque glabra; *interiora* basi petalorum exteriorum inserta, lanceolata, longitudine exteriorum, latere exteriore ad dimidium glabra, apice latereque interiore pilis rufescentibus tota tecta.

Nectarium margo elevata, carnosa, inter corollam et stamina in receptaculo, lobata.

STAMINA. *Filamenta* octo ad decem, receptaculo inserta.

CAPSULA quinque-angularis. *von Rohr.*

HYMENAEA.

HYMENAEA COURBARIL, foliis coriaceis subaveniis basi inaequalibus, paniculae floribus pedunculatis.

Hymenaea courbaril. LIN. Syst. veget. pag. 392.

HYME-

HYMENAEA VENOSA, foliolis membranaceis venosis basi subaequalibus, paniculae floribus sessilibus.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, glabri, cortice griseo-fusco, adspersi punctis elevatis minutis ferrugineis.

FOLIA in ramulis, petiolata, alterna, binata: *foliola* breviter petiolata, oblonga, tri- vel quadripollicaria, integerrima, acuminata, acuta, latere interiore, praesertim inferne versus angustiora, basi subaequalia, glabra, venosa, subtus reticulata: venis tenuissimis, vix nitida.

Petioli teretes, pollicares, fusco-purpurei.

PANICULA terminalis. *Pedunculi universales*, uti partiales, fusci, glabri: *partiales* parum ramosi, post casum bractearum dentati. *Flores* sessiles, quinque in singulo ramulo, alterni. *Bracteae* duae, ad basin florum, ovato-rotundatae, coloratae, subcoriaceae, dorso villosae, carinatae.

CALYX turbinatus, sericeus: *tubus* persistens: *laciniae* oblongae, obtusae, unguiculares, unica parum angustior, intus medio incanae, margine glabrae.

COROLLA. *Petala* quinque, obtusa, longitudine calycis, unguem lata: duo reliquis angustiora.

STAMINA. *Filamenta* decem, quinque parum breviora, omnia corolla longiora, sensim attenuata. *Antherae* erectae, oblongae.

PISTILLUM. *Germen* breviter pedicellatum, compressum, glabrum. *Stylus* staminibus longior, primum in spiram convolutus, dein porrectus. *Stigma* obtusum.

Similis Hymenaeae Courbaril, differt vero foliis triplo longioribus, venis numerosis tenuissimis subreticulatis, basi fere aequalibus, nec foliis venis obscuris latereque interiore supra basin desinentibus: calyces sericeo magis nitentes sessiles, nec pedunculati.

JUSSIAEA.

JUSSIAEA HIRTA, erecta hirsuta, foliis lanceolatis attenuatis subtus hirtis, floribus pedunculatis octandris.

Onagra frutescens et hirsuta neriifolio, flore magno luteo. PLUM. ic. 174. fig. 2.

Oenothera hirta: hirta, foliis supra glabris. LIN. S. V. pag. 358.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CAULIS teres, ferrugineo-hirsutus, subtomentosus.

FOLIA alterna, brevissime petiolata, bi-sive tripollicaria, lato-lanceolata, utrinque attenuata, acuta, integerrima, utraque pagina villosa, praesertim subtus, mollia, avenia, multinervia; nervis obliquis.

Pedunculi axillares, longitudine petioli, solitarii, uniflori, versus apicem utrinque foliium lanceolatum.

CALYCIS *laciniae* lanceolatae, attenuatae, unguiculares.

Petala quatuor obcordata, flava, nervis purpurascentibus picta, majora quam in reliquis speciebus.

JUSSIAEA LINIFOLIA, foliis laciniisque calycinis lineari-lanceolatis glabris, floribus sessilibus octandris.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

CAULIS herbaceus, erectus, tener, glaber, inferne tetragonus, superne compresso-angulatus, ramosus. *Rami* alterni, subfiliformes, patentissimi.

FOLIA subsessilia, pollicaria vel minora, angusta, lineari-lanceolata, utrinque attenuata, glaberrima, vix venosa, tenuissime subnervosa.

Flores axillares, solitarii, sessiles.

CALYX: *laciniis* quatuor, lanceolatis, attenuatis, vix semiunguicularibus.

CAPSULA pollicaris, tenuis, teres, glaber.

CASEARIA.

CASEARIA MACROPHYLLA, floribus decandris subtomentosis, foliis ellipticis acuminatis glabris crenatis.

Pitumba guianensis. AUBL. fl. Guian. append. pag. 29. tab. 385. ex auctoritate *Rohrii.*

Habitat in Cajenna. *von Rohr.*

RAMI teretes, glabri, griseo-punctati.

FOLIA petiolata, alterna, sex- vel octopollicaria, utrinque glabra, transversim simpliciter venosa, perforata, subtus pallidiora, subcostata: costis subpurpurascentibus, acuminata, integerrima, extrorsum versus crenata; crenae interdum obscuriores.

Petioli semiunguiculares, canaliculati.

Pedunculi axillares, brevissimi, uniflori, aggregati.

CALYX

Calyx pentaphyllus: *laciniis* lanceolatis, obtusiusculis.

Corolla nulla.

Nectarium squamae decem, lineares, cum filamentis alternantes, pilosae.

Stamina. *Filamenta* decem, pilosiuscula, corolla parum breviora, squamis nectarii paululum longiora. *Antherae* globosae, pilis nonnullis adspersae.

Pistillum. *Germen* superum, oblongum, villosum. *Stylus* brevis. *Stigma* conicum, villosum, obtusiusculum.

Erronee ramum aphyllum uti pedunculum communem racemi describit *Aublaetius*.

ERYTHROXYLON.

ERYTHROXYLON rufum, foliis oblongis obtusissimis basi acutis, axillis multifloris, squamis ovatis acutis.

Erythroxylon rufum, foliis ovatis coriaceis inferne rufis, squamulis imbricatis, axillis multifloris. Cavan. diss. pag. 404. no. 555. tab. 232.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ħ

Rami fusco-cinerascentes, glabri, inferne teretes, superne compressiusculi, punctis oblongis adspersi.

Folia brevissime petiolata, bi-sive tripollicaria, in ramulis sparsa, subcoriacea, integerrima, utrinque obscure venosa; subtus glauco-rufescentia, linea tenuissima utrinque prope costam.

Squamae parvae, ovatae, deciduae.

Pedunculi axillares, plures, angulati, glabri, breves, uniflori: *Squamulae* minutae ad basin pedunculorum.

Fructus oblongus, unguicularis, angulatus.

ERYTHROXYLON macrophyllum, foliis ellipticis acuminatis, axillis multifloris, squamis lanceolato-subulatis semiamplexicaulibus striatis.

Erythroxylon macrophyllum, foliis lanceolatis longissimis, squamis amplexicaulibus striatis, axillis multifloris, fructu triloculari. Cavanil. diss. pag. 401. no. 549. tab. 227.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

Rami elongati, glabri, cortice cinereo, sursum versus punctis minutis frequentibus adspersi, inferne teretes, superne compressi.

Folia breviter petiolata, alterna, spithamaea et ultra, integerrima, inferne versus saepe parum sensim angustata, basi apiceque acuta, utrinque glaberrima; supra vix

venosa nitidiuscula; subtus venosa, glauco-rufescentia, costa et venae majores purpurascentes.

Squamae axillares et interfoliaceae, pollicares, solitariae, alternae, inferne remotiores, superne confertiores, erectae, semiamplectentes, e basi lato lanceolatae, attenuatae, basi fissae, floriferae bipartitae.

Pedunculi ex axillis squamarum, aggregati, saepe viginti, glabri, angulati, uniflori, squama breviores; *squamula* ad basin singuli pedunculi, pedunculo brevior, lanceolata. *Flores* ante explicationem pentagoni, acuminati.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, glabris.

Petala lanceolata, basi squama emarginata.

TRIUMFETTA.

TRIUMFETTA GRANDIFLORA, foliis subcordato-ovatis integris serratis pilosiusculis: floralibus lanceolatis, ramis hirtis, floribus completis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

CAULIS lignosus, teres, rami inferne glabri, superne hirti, apice bifidi.

Folia petiolata, alterna, bi-sive tripollicaria, basi sinu parvo ad petiolum subcordata, ovata: floralia lanceolata; omnia parum attenuata, trinervia, scabriuscula, supra pilis raris fasciculatis vel simplicibus adspersa, subtus minus pilosa, serrata: serraturis alternis majoribus, infimis quatuor glandula orbiculata cava terminatis.

Petiolus bipollicaris, prope folium crassior, e pilis stellatis cinereus. *Stipulae* lanceolatæ, acuminatae.

Pedunculi inferiores axillares vel oppositifolii, multiflori: *partiales* umbellati; *terminales pedunculis partialibus* racemosis: *pedicellis* umbellatis, bi-sive trifloris, uti pedunculus communis tomentosis, hirtis. *Bracteae* lanceolatae. *Flores* duplo vel triplo majores quam in congeneribus.

CALYX glaber: *foliola* lanceolata, acuminata.

Petala oblonga, unguiculata, calyce parum breviora.

Stylus calyce longior.

A reliquis mihi notis speciebus differt, corollis duplo vel triplo majoribus.

TRIUMFETTA MACROPHYLLA, foliis ovato-cordatis integris inaequaliter serratis acuminatis tomentosis basi glandulosis, floribus completis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

RAMI

Rami teretes, uti tota planta, tomentosi.

Folia petiolata, alterna, quinque- vel sexpollicaria, in medio aeque fere lata ac longa, patentissima, ovato-cordata, absque sinu ad insertionem petioli, acuminata, serrata: serraturis frequentibus, alternis majoribus obtusioribus, inferioribus glandulosis; utrinque mollissima, subtus villosiora, venosa: inferiora quinquenervia, suprema trinervia. Glandulae duae fuscae utrinque ad insertionem petioli, approximatae.

Petioli bipollicares, teretes. *Stipulae* unguiculares, lanceolatae, attenuatae, intus glabrae.

Pedunculi ex axillis superioribus, saepe plures, alii simplices, alii compositi: *pedicelli* umbellati, basi *bracteis* setaceis.

Calyx pentaphyllus: *foliolis* linearibus, acuminatis.

Petala quinque, linearia, longitudine calycis.

Similis Triumf. lappulae, cum vero flores calyculati, nec ecalyculati ut in illa, diversam esse credo. A Triumfetta rhomboidea tomentositate et figura foliorum dignoscitur.

EUGENIA.

EUGENIA patrisii, foliis ellipticis glabris acuminatis acutis, pedunculis: unifloris capillaribus axillaribus geminis; terminalibus subquaternis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Rami teretes, glabri, cortice cinerascente. *Ramuli* oppositi, foliosi et floriferi.

Folia petiolata, opposita, bipollicaria, integerrima, acuminata, acutiuscula, basi interdum obtusa interdum acutiora, membranacea, utrinque glabra, supra sublineata, subtus pallidiora, venosa.

Petioli vix semiunguiculares, supra plani.

Pedunculi axillares vel parum infra gemini, terminales quatuor vel quinque, sesquipollicares, glabri, capillares, uniflori. *Bracteae* setaceae ad basin pedicellorum.

Calycis *laciniae* rotundatae.

Affinis Eugeniae uniflorae, diversa habitu et bracteis setaceis, nec ovatis.

Eugeniam hanc Patrisii nominavit *von Rohr*, in memoriam Dr. *Patris*, botanices cultoris et hujus speciei inventoris.

EUGENIA UNDULATA, foliis ovato-lanceolatis acuminatis glabris subundulatis, pedunculis lateralibus unifloris aggregatis.

Eugenia undulata foliis ovato-oblongis, acuminatis; fructu parvo, rubro, olivaeformi. AUBL. fl. Gu. pag. 508. tab. 202.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

RAMI inferne teretes, superne alternatim compressi, cortice griseo, glabri, uti reliquae partes plantae.

FOLIA superne, petiolata, opposita, tri- vel quadripollicaria, sesquipollicem lata, glaberrima, venosa, laete viridia, perforata, obtusiuscula.

Petioli triquetri, fusci, vix unguiculares.

Pedunculi supra cicatrices foliorum deciduorum, quatuor ad septem, semiunguiculares, uniflori, fusci. *Bracteae* duae, ad basin calycis, subrotundae, parvae.

CALYX quadrilobus.

COROLLA tetrapetala.

Germen oblongum, glabrum.

EUGENIA TRINERVIA, foliis ovatis trinerviis glabris, racemis axillaribus oppositis solitariis: infrafoliaceis geminatis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

RAMI inferne teretes, superne compressi, ope lentis villosi.

FOLIA superne versus apices ramorum, petiolata, opposita, saepe quadripollicaria, ovata, acuta, integerrima, utrinque glabra et subnitida, oculo armato punctata, trinervia, venosa; subtus pallidiora, venis et nervis evidentioribus.

Petioli breves, semiunguiculares, subvillosi.

FLORES racemosi. *Pedunculi* axillares solitarii, folio dimidio breviores: infrafoliacei tripollicares, utrinque gemini ad singulam cicatriculam, alter robustior et basi saepe utrinque ramulo; omnes compressi, subvillosi.

Pedicelli remoti, oppositi, unguiculares, patentissimi uniflori.

Bracteae lineari-lanceolatae, deciduae, basi persistentes.

CALYX: *laciniae* quatuor, subrotundae, extus adspersae punctis pluribus elevatis.

Petala oblonga, integerrima.

Germen villoso-incanum.

EUGENIA TOMENTOSA, foliis oblongis integerrimis ramisque villosis, racemis axillaribus compositis.

Eugenia tomentosa: foliis ovatis subsessilibus, floribus racemosis. AUBL. flor. Guian. pag. 504. tab. 200.

Habitat in Guiana. ♄

RAMI villoso-subtomentosi.

FOLIA breviter petiolata, opposita, sesquipollicaria, supra avenia, secundum nervos lineata; subtus pallidiora, venosa, obtusa, integerrima.

Pedunculi axillares, solitarii, folio longiores, uti pedicelli incani.

Flores parvi.

CALYX villoso-cinereus.

RITTERA.

RITTERA GRANDIFLORA, foliis simplicibus oblongo-ovatis, pedunculis subtrifloris, petalo subrotundo reniformi maximo, leguminibus oblongis.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

ARBOR mediocris. *Rami* teretes, glabri, subdichotomi, fusci: juniores virides.

FOLIA breviter petiolata, alterna, tripollicaria, utrinque glaberrima, venosa, subundulata, parum acuminata, obtusa; costa foliorum subtus flavescens.

Petioli breves, apice utrinque denticulo obsoleto. *Stipula* utrinque setacea, rigidiuscula.

Pedunculi ex axillis superioribus et apice ramorum, solitarii, folio breviores, glabri, plerumque triflori. *Pedicelli* alterni, pollicares, versus florem parum crassiores. *Bractea* minuta, utrinque ad basin pedicellorum.

CALYX coriaceus, in *lacinias* duas, vel tres quatuor rumpens, inaequales, petalo triplo breviores, obovatas.

COROLLA. *Petalum* unicum, unguiculatum, subrotundo-reniforme, sesquipollicare, nervoso-venosum: nervi et venae versus peripheriam evanescentes. *Unguis* brevis.

STAMINA. *Filamenta* numerosa, petalo breviora, quindecim circiter reliquis longiora et robustiora ad alterum latus petalo oppositum cum pistillo declinata, reliqua breviora, tenuiora, petalo incumbentia.

PISTILLUM. *Germen* pedicellatum, lineare, utrinque attenuatum, laeve, glabrum, compressum, petalo brevius. *Stigma* acutum.

Legumen pedicellatum, bipollicare, oblongum, utrinque acutum, stylo semiunguiculari terminatum, mono- vel dispermum, ad singulum semen coarctatum.

Semen unicum vel duo, ovale, pollicare, crassitie fere digiti intermedii, nigrum nitidum. *Umbilicus* ventralis, linearis. *Arillus* incompletus, semen fere usque ad marginem oppositum tegens, orbiculatus, subcarnosus, multipartitus: *laciniis* plurimis linearibus, extrorsum parum latioribus, parallelis, basi tantum cohaerentibus.

Tam multa similia habet haec species cum Rittera simplicifolia in Symbolis meis botanicis descripta, ut limites infallibiles tradere fere nequeam; ambae autem inter se collatae differre videntur. Folia quidem in grandiflora angustiora, magis acuminata et consistentia tenuiora, petioli apex dente obscuro, nullo modo autem per petiolum decurrente, pedunculi plerumque triflori tantum, petala majora. Sed notae hae omnes nimis levidenses sunt pro specie indubitabili stabilienda. Characteres certiores forte petendae a petalo et legumine, cum vero, in specimine meo Ritterae simplicifoliae parum bono, prior et posterior plane desideratur, necessitas me cogit aliis relinquere ulterius inquirere, num species diversae revera sint nec ne.

RITTERA pinnata, foliis pinnatis.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Rami teretes, glabri.

Folia petiolata, alterna, pedalia, pinnata cum impari, bijuga. *Foliola* petiolata, opposita, subspithamaea, interiora minora palmaria, elliptica, utrinque glabra, tenuissime venosa, integerrima, acuminata.

Petiolus universalis teretiusculus, supra ad foliola planiusculus: partialis semiunguicularis, edentulus.

Racemi interdum gemini, semipedales. *Pedunculus communis* inferne teres, punctatus, sursum angulatus, uti pedicelli et calyces, e tomento tenuissimo grisei. *Pedicelli* sparsi, frequentes, pollicares, compressiusculi, erecto-patentes, uniflori.

Calyx ante explicationem globosus, magnitudine pisi, membranaceus, more generis rumpens.

Corolla. *Petalum* calyce dimidio longius, subrotundum, unguiculatum. *Unguiculus* brevis.

Stamina. *Filamenta* numerosa, duo petalo opposita, adscendentia, reliquis longiora et robustiora; reliqua breviora, tenuiora, petalo incumbentia.

Pistillum. *Germen* pedicellatum, flexuosum, petalo oppositum, lineare, incanum, corolla longius.

Legu-

Legumen pedicellatum, pendulum, saepe spithamaeum, crassitie pollicis, terctiusculum, inter singula semina coarctatum, di- tri- tetra- vel pentaspermum, stylo sesquipollicari terminatum, bivalve.

Semina duo ad quinque, oblongo-ovata, pedicellata: *pedicello* carnoso, filiformi, basi bis curvato; curvaturis parallelis, apice valvulis adhaerente, pallide flava, altero apice basin leguminis verso acuta, altero sursum verso plana. *Hilum* in apice superiori, lineare, colore aurantio.

Arillus incompletus, calyptratus, apicem superiorem seminis tegens, carnosus, striatus, margine crenulatus, albido-flavescens, in pedicello desinens.

Hanc et reliquas species Ritterae genus naturale constituere nemo est, qui dubitet, differunt enim modo quoad numerum staminum et magnitudinem petali, caeterum tam similes, ut in nonnullis limites inter species haud facile eruantur. Attamen e data descriptione seminis et arilli Ritterae grandiflorae et pinnatae patet, quod valde inter se discrepent hae duae species in hisce partibus. Palam inde est, quod et partes plantae, ab omnibus tamquam illae habitae, ubi natura in revera congeneribus nunquam a situ proprio deflectit, quoque differunt. Argumentum praeterea haec observatio subministrat, quod methodus a situ umbilici vel corculi, aeque ac a reliquis partibus fructificationis desumta anomaliis est obnoxia. Quamvis situs harum partium, uti et arilli, affinitatem in quam plurimis optime demonstret, ex supra dictis tamen apparet ulterius, quod in his omnino sic se habet, ut in aliis fructificationis partibus, nempe notam, quae in uno genere valet pro charactere generis, in alio nullius esse usus, consultius autem esse, unamquamque partem fructificationis aestimare et ponderare potius, quam unicam solam in generibus constituendis ubique assumere.

Fructificatio *Swartziae* Schreb. gen. plant. p. 518 tam exacte cum Ritterae pinnatae congruit, ut vix genere differre videantur.

MARCGRAVIA.

MARCGRAVIA umbellata, foliis ovato-oblongis acuminatis venosis.

Marcgravia scandens, fructu radiatim posito. Plum. Ic. 173.

Marcgravia umbellata. — Lin. Syst. Veget. pag. 487.

MARCGRAVIA coriacea, foliis ellipticis obtusis coriaceis aveniis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Rami glabri, cortice cinereo, punctis raris elevatis adspersi, inferne terctes, superne subtetragoni.

Folia

Folia breviter petiolata, quadri- vel quinquepollicaria, utrinque glabra, laevia, margine parum reflexa.

Pedicelli versus summitatem pedunculi communis, verticillati, feptemdecim vel octodecim, patentissimi, bipollicares, aequales, teretes, versus florem incrassati, e punctis frequentissimis sparsis tuberculati. *Flores* adscendentes.

De absentia vel praesentia corporum utricularium incertum se esse asseverat *Ryan*, cum in unico specimine, quod inter reliquias *Rohrii* invenit, deerant. Si autem e vestigiis judicare licet, mihi verosimile videtur, quod aeque adsint in hac specie ac in altera.

MAMMEA.

MAMMEA americana, foliis obtusissimis striatis, pedunculis brevibus, baccis tetraspermis.

Mammea americana. Lin. Syst. Veget. pag. 492.

MAMMEA humilis, foliis acutis, pedunculis petiolo longioribus, baccis trispermis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

Arbuscula circiter sexpedalis, succo luteo aquoso scatens.

Rami inferne teretes, superne alternatim compressi, rigidi, glabri, articulati, sub articulis parum dilatati, in arbore masculino ad cicatriculas utrinque tuberculo, piso parum minore, inaequali, muricato, florifero.

Folio petiolata, opposita, quadri- vel quinquepollicaria, elliptica, plerumque acuta, rarius obtusa cum emarginatura parva, integerrima, subcoriacea, utrinque venosa, glaberrima, subtus pallidiora, costa flavescente.

Petiolus subtus carinatus, supra canaliculatus, pollicaris.

Stipulae nullae.

Pedunculi infrafoliacei, in masculo arbore e tuberculis, in foemineo parum supra cicatriculas petiolorum, duo ad quatuor, sesquipollicares, teretes, uniflori, patentes, subreflexi.

Flores polygami.

Hermaphroditus in distincto individuo a masculo.

Calyx inferus, diphyllus, persistens: *foliola* subrotunda, concava, petalis quintuplo breviora.

Corolla.

COROLLA. *Petala* quatuor, subrotunda, patentissima, subtus valde convexa supra concava, duo parum majora, peracta florescentia reflexa.

STAMINA. *Filamenta* copiosa, ad basin receptaculi germinis inserta, petalis breviora. *Antherae* parvae, subrotundae.

PISTILLUM. *Germen* superum, receptaculo hemisphaerico, flavescente, et post casum filamentorum tuberculato insidens, ovato-subrotundum. *Stylus* brevissimus. *Stigma* convexiusculum, saepe inaequaliter trilobum.

PERICARPIUM. *Bacca* oblonga, apice acuminata, obtusa, bipollicaris, trisperma. *Semina* oblonga, venoso-reticulata, latere interiori plana.

Mas.

CALYX, COROLLA et STAMINA ut in hermaphrodito.

PISTILLUM nullum. *Receptaculum* hemisphaericum.

Quoties figuram Rheediae in iconibus Plumierianis intueor, toties mihi vero simile videtur, eam a Mammea hic descripta vix specie, ne quidem genere differre. Conveniunt etenim exacte figura foliorum, situ florum, figura petalorum, fructu et toto habitu, differunt modo secundum characterem *Linnaei*, quod Rheedia calyce destituatur. *Linnaeus* autem, qui, ut ipse in speciebus plantarum fatetur, plantam non vidit, characterem generis a Plumierio mutuavit; cum vero hic nil de calyce commemorat, et ex ejus figuris partium fructificationis haud optimis potius ecalyculata quam calyculata videtur, *Linnaeus* forte eam ecalyculatam pronunciavit. Secundum Mantissam *Linnaei* secundam, pag. 401, observatio in speciebus plantarum Rheediae addita excludenda erit, aliamque dedit descriptionem in Systemate plantarum, edit. Holm. 1776, uti et descriptionem uberiorem staminum et pistilli in Mantissa prima pag. 141, forte ad specimen exsiccatum confectas, calycem vero in utroque loco intactum reliquit. Nonne conjicere licet, quod calycem vel praeterviderit in specimine sicco propter parvitatem, vel quod calyx omnino defuerit casu in specimine a viro illustri viso. Tantum a veritate non abhorrere videtur haec mea conjectura, cum non modo, uti jam dixi, mea planta penitus ad figuram Rheediae Plumierii quadrat, sed et in omnibus, calycem si exceperis, cum descriptione *Linnaei*.

ASCIUM.

CHARACTER ESSENTIALIS. CALYX pentaphyllus. COROLLA pentapetala. BACCA quadrilocularis: *loculis* dispermis.

ASCIUM VIOLACEUM.

Noran-

Norantea Guianensis. AUBL. fl. guian. pag. 554. tab. 220.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ħ

RAMI teretes, crassitie pennae cygneae, griseo-rufescentes, glabri, cicatricati, in pedunculo desinentes.

FOLIA brevissime petiolata, alterna, quadripollicaria, obovata, coriacea, emarginata, integerrima, margine parum reflexa, utrinque glabra, vix venosa vel nervosa, subtus rufescentia.

FLORES superne in pedunculo, copiosi, sparsi, secundi, racemosi: *pedicelli* vix unguiculares, uniflori. *Bractea* minuta decidua in medio pedicelli et duae ovatae sub calyce: alia pedicellata, parum infra basin calycis, utricularis, pollicaris, teres, supra planiuscula, apice obtusa, basi aperta.

CALYX pentaphyllus: *foliola* rotundata, brevia, subimbricata, corolla arcte adpressa: duo exteriora minora, breviora, reliqua aequalia.

COROLLA pentapetala, infera: *petala* ovata, obtusa, reflexa.

STAMINA. *Filamenta* plura, serie duplici receptaculo inserta, triquetro-linearia, petalo dimidio breviora. *Antherae* erectae, parvae, longitudine petalorum, latitudine fere filamentorum, mucronatae.

PISTILLUM. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* fere nullus. *Stigma* subsessile, obtusiusculum.

PERICARPIUM. *Bacca* subglobosa, laevis, piso duplo major, vertice subdepressa, stigmate mucronata, quadrilocularis: *loculis* dispermis.

SEMINA fusca, nitida, teretia, curvata, utrinque obtusa, dissepimento affixa *arillo* pulposo.

BONNETIA.

CHARACTER ESSENTIALIS. COROLLA pentapetala. CALYX pentaphyllus. CAPSULA trilocularis, trivalvis, polysperma.

BONNE'TIA PALUSTRIS.

Mahurea palustris. AUBL. fl. Guian. pag. 558. tab. 222.

Bonnetia. SCHREB. gen. plant. pag. 363.

In Guiana legit *von Rohr.* ħ

Rami glabri, inferne teretes, grisei, cicatricati: superne angulati, fusco-purpurascentes, foliosi.

FOLIA

FOLIA petiolata, alterna, distantia, spithamaea, subcoriacea, lanceolato-elliptica, obtusiuscula, basi rotundata, integerrima, transversim nervosa, tenuissime venosa, utrinque glaberrima: subtus rufescentia (saltem in speciminibus siccis) nervis coloratioribus.

Petioli pollicares: *mucro* minuta parum supra axillam petioli. *Stipulae* ovatae, parvae, deciduae.

RACEMUS terminalis, erectus, spithamaeus. *Pedunculus communis* angulatus, glaber. *Pedicelli* sparsi, geminati, unguiculares, angulati. *Bractea* ad basin pedicellorum, longitudine fere pedicelli, linearis, subtus carinata, supra canaliculata: tres in ipso pedicello, parum supra basin, breviores.

CALYX pentaphyllus, fusco-purpurascens, glaber, corolla duplo vel triplo brevior: *foliolis* ovatis, obtusis; tribus interioribus, majoribus, margine tenuioribus.

COROLLA. *Petala* quinque, semipollicaria, oblonga, basi parum angustiora, obtusa, extus e tomento tenuissimo cinerea, duo parum angustiora.

STAMINA. *Filamenta* numerosa, receptaculo inserta, corolla parum breviora, capillaria, glabra. *Antherae* oblongae, apice parum latiores, obtuse quadridentatae.

PISTILLUM. *Germen* ovatum, superum. *Stylus* unicus, staminibus parum longior. *Stigma* simplex.

BIGNONIA.

BIGNONIA TENUISILIQUA, foliis simplicibus lanceolatis glabris integerrimis, paniculis terminalibus.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

CAULIS scandens. *Rami* teretes, tenues, fusci, albido punctati, glabri.

FOLIA petiolata, opposita, bi-sive tripollicaria, pollicem lata, lanceolata, saepe acumine semiunguiculari terminata, acuta, utrinque glabra, obscure venosa.

Petioli filiformes, sesquipollicares, glabri.

PANICULA terminalis ramorum. *Pedunculi* filiformes, teretes, quadri- vel quinquepollicares: *partiales* sesquipollicares, infimi saepe terni, superiores oppositi, semel vel bis dichotomi; *pedicelli* uniflori.

CALYX glaber, deciduus.

COROLLA sesquipollicaris, glabra.

LEGUMINA sesquipedalia, linearia, vix semiunguem lata, glabra, extus striata.

BIGNONIA VILLOSA, foliis conjugatis cirrhosis: foliolis ovatis subtus villosis mollissimis.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.*

RAMI teretes, superne compressiusculi, tomento tenuissimo tecti.

FOLIA petiolata, opposita, conjugata: *foliola* petiolata, ovata, membranacea, venosa, supra fere glabra, nisi in costa, subtus e villis minutis griseis mollissima, integerrima, bipollicaria, parum acuminata.

Petiolus communis pollicaris: *partialis* semiunguicularis, uti communis teres, griseo-pubescens. *Cirrhus* in apice petioli, filiformis, villosus.

CALYX campanulatus, glaber, truncatus, integerrimus.

COROLLA magna, fere tripollicaris, glabra, purpurea.

An Bignonia pubescens *Lin.?* at folia in illa cordata et flores lutei, inflorescentia mihi ignota.

BIGNONIA LAURIFOLIA, foliis conjugatis oblongis glabris, racemis terminalibus; ramis dichotomis, corollis extus tomentosis mollissimis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

CAULIS scandens. *Rami* teretes, glabri, purpurascentes.

FOLIA petiolata, opposita, conjugata: *foliola* petiolata, quadripollicaria, oblongo-ovata, plerumque obtusa, superiora interdum acuminata acutiuscula, integerrima, utrinque glabra, subtilissime venosa.

Petioli subtus convexi, supra plani, glabri. *Cirrhi* nulli, saltem in speciminibus quae coram habeo.

RACEMI terminales, erecti, solitarii, palmares et ultra, compositi. *Pedunculus* alternatim compressus: *partiales* oppositi, distantes, inferiores bis dichotomi, superiores semel, absque flore in dichotomia, supremi triflori. *Flores* pedicellati, terni. *Bractea* setacea, ad basin pedunculorum partialium, decidua.

CALYX simplex, urceolatus, integerrimus, glabriusculus.

COROLLA incarnata, bipollicaris, extus e villis brevissimis densissimis tomentosa, mollissima, intus minus tomentosa.

Sub nomine Bignoniae incarnatae misit *von Rohr*, cum Bign. incarnata *Aublaetii* haud tamen bene congruit. Racemi enim terminales nec axillares, calyx integerrimus nec quinquedentatus, corolla magnitudine et figura similis Bignoniae incarnatae *Aublaetii*, num vero in illa glabra, vel tomentosa ut in mea ignoro, cum ex *Aublaetii* descriptione non patet.

BIGNONIA ELONGATA, foliis conjugatis cirrhosis: foliolis ovalibus subtus tomentosis, racemo longissimo terminali, pedunculis dichotomis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, tomento tenuissimo griseo-flavescente tecti.

FOLIA petiolata, opposita: *foliola* tripollicaria, membranacea, subnervosa, utrinque venis transversis, copiosis, simplicibus, supra glabra, subtus tomento tenuissimo flavescente vestita, integerrima, parum acuminata, obtusa.

Petioli pollicares: *partiales* unguiculares, tenuissime tomentosi. *Cirrhus* validus, rigidus, ex apice petioli communis.

Pedunculi terminales, sesquipedales, erecti, rigidi, teretes, superne alternatim compressi: *partiales* oppositi, remoti, patentes, bis vel ter dichotomi, ramis divaricatis. *Flores* gemini, pedicellati; dichotomiae solitarii, sessiles.

CALYX oblongus, unguicularis, coriaceus, truncatus, integerrimus.

COROLLA sesquipollicaris, uti calyx tomento tenui tecta.

BIGNONIA CORYMBIFERA, foliis conjugatis subcordatis ovatis acuminatis utrinque glabris, corymbis axillaribus terminalibusque.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

RAMI glabri, purpurascentes, inferne teretes, superne alternatim compressi, ad petiolos dilatati.

FOLIA petiolata, opposita, conjugata: *foliola* petiolata, bi-sive tripollicaria, membranacea, integerrima, venosa, subtus pallidiora, in acumine fere unguiculari obtusiusculo desinentia, mucrone brevissimo terminata, basi oblique subtransversa, altero margine versus basin parum angustiora.

Petioli universales bipollicares, teretes: *partiales* pollicares, teretes, ope lentis farinoso-villosi. *Cirrhi* in meo specimine nulli, cicatricula tantum in apice petioli communis.

FLORES corymboso-racemosi. *Pedunculi* axillares et terminales, oppositi, solitarii: *partiales* oppositi; *pedicelli* tri- vel quadriflori. *Flores* pedicellati. *Bractea* parva, setacea, grisea, ad basin pedunculorum partialium et pedicellorum.

CALYX campanulatus, tener, membranaceus, truncatus, integerrimus, ope lentis villis rarioribus adpressis adspersus, coloratus.

COROLLA pollicaris, pubescens.

Stylus longitudine corollae.

BIGNONIA MOLLIS, foliis ternatis: foliolis subcordato-oblongis utrinque pubescentibus, panicula terminali.

Bignonia tomentosa: scandens, trifoliolata, rufo-hirsuta: foliolis amplis, subcordato-ovatis utrinque tomentosis: panicula terminali multiflora: floribus parvis. ACT. SOC. HIST. NAT. PARIS. Tom. I. pag. 111.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

Scandens.

RAMI e pube brevi flavescente-ferrugineo molles, inferne teretes, superne alternatim subcompressi, crassitie pennae anserinae.

FOLIA opposita, petiolata, ternata: *foliola* lateralia brevius petiolata, petiolo unguiculari, ovato-oblonga, altero latere angustiora, more Phaseoli: intermedium petiolo sesquipollicari, basi sinu parvo subcordata, lato-oblonga; omnia utrinque venoso-reticulata, subrugosa, e pube flavescenti mollissima, quinquenervia, integerrima, obtusa cum acumine brevi, quinquepollicaria.

Petioli communes octo- vel decempollicares, uti partiales teretes, molliter subtomentosi. *Pedunculus* terminalis, elongatus. *Flores* versus summitatem pedunculi. *Pedunculi partiales* oppositi, approximati; inferiores bis vel ter trichotomi, breves, triflori: *pedicelli* vix pollicares.

CALYX campanulatus, fusco-pubescens, quinquedentatus: *denticulis* minutis.

COROLLA subpubescens, unguicularis.

BIGNONIA SERRATIFOLIA, foliis subquinato-digitatis: foliolis ovatis attenuatis serratis glabris, pedunculis terminalibus confertis subunifloris.

Habitat in insula Trinitatis Hispanis Pouy dicta. *Ryan.* ħ

RAMI teretes, glabri, grisei, albido punctati, remote cicatricati, superne alternatim compressi.

FOLIA petiolata, opposita, digitata, quaterna vel quinata: *foliola* petiolata, intermedium tri- vel quadripollicare, lateralia minora: omnia ovata, attenuata, venosa, utrinque glaberrima, inaequaliter serrata, basin versus integerrima.

Petioli fusco-virides, glaberrimi, compressi.

Pedunculi in apice ramorum, plures, aggregati, unguiculares, plerumque uniflori, interdum biflori, farinaceo-subtomentosi.

CALYX *perianthium* monophyllum, campanulato-tubulosum, pulverulentum, unguiculare, basi crassum, bilabiatum. *Labium superius* bifidum: *laciniis* ovato-subrotundis, brevibus: *inferius* integerrimum, rotundatum.

COROL-

Corolla lutea, ante evolutionem clavata, bipollicaris, supra planiuscula, subtus convexa, sulcis aliquot per paria exarata: explicata tripollicaris. *Labium superius* trifidum: *laciniis* oblongis, obtusis, venoso-reticulatis: *inferius* bifidum.

Stamina. *Filamenta* quatuor antheriferae, longiora, quintum brevius sterile, corolla duplo breviora, filiformia, attenuata, basi villosa.

Antherae didymae: *lobis* divaricatis.

Germen oblongum, obscure angulatum, submuricatum. *Stylus* unicus filiformis. *Stigma* compressum.

CAPRARIA.

CAPRARIA lanceolata, foliis lanceolatis serratis extrorsum serratis, pedunculis submultifloris.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.*

Caulis herbaceus, erectus, inferne teres, superne angulatus adspersus pilis brevibus inferne rarioribus, superne frequentioribus.

Folia alterna, frequentia, bi-sive tripollicaria, patentia, lanceolata, basi in petiolum attenuata, acuta, utrinque glabra, ope lentis margine ciliata, ab apice versus medium serrata, dein integerrima.

Pedunculi axillares vel terminales ramulorum, vix unguiculares, pubescentes, uni-, bi-, tri- vel quadriflori: *pedicelli* alterni, approximati, brevissimi. *Bractea* lineari-lanceolata, pedicello parum longior, ad basin singuli pedicelli.

Calyx persistens, quinquepartitus: *laciniis* subulatis.

Corolla calyce longior, fundo villoso: *laciniis* quinque, lineari-oblongis.

Stamina quatuor, duo breviora.

Stylus longitudine corollae, persistens. *Stigma* capitatum.

Capsula oblonga, calyce parum longior, bisulca, bivalvis, bipartibilis.

Semina copiosa, minutissima: *receptaculo* lineari, libero affixa.

VANDELLIA.

VANDELLIA diffusa, foliis subrotundis subsessilibus.

Vandellia diffusa. Lin. S. V.

In Insula St. Crucis legit *Ryan.*

Caulis herbaceus, ramosus, tetragonus, filiformis, pubescens.

Folia breviter petiolata, opposita, vix unguicularia, subrotunda, supra glabra, juniora subtus pilis rarioribus, serrata, avenia, enervia.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, alterni, breves.

Calyx quadrifidus.

In Insula St. Thomae non crescit, ut perhibet *Linnaeus*, vulgaris autem in Montserrat. *von Rohr.*

VANDELLIA pratensis, foliis petiolatis oblongis acutis crenatis.

Basourinha, sive Tupeicava. Piso hist. nat. Bras. pag. 110.

Matourea pratensis. Aubl. fl. Guian. pag. 642. tab. 259.

Habitat ab insula Trinitatis ad Brasiliam usque, frequentissima ad vias. *von Rohr.* ⊙

Caulis herbaceus, erectus, tetragonus, angulis acutis, brachiatus. *Rami* structura caulis.

Folia opposita, petiolata, unguicularia, oblonga, utrinque acuta, uti caulis ad lentem villosiuscula, viridi-canescentia, margine parum reflexa, inferiora crenata, suprema saepe integerrima.

Petioli brevissimi.

Flores axillares, sessiles, parvi.

Sequentia mecum communicavit *von Rohr:*

Bracteae tres ad basin calycis, sessiles, persistentes: duae laterales, subrotundae, uno latere productiores, suberectae, aequales, pagina inferiore concavae; tertia superior, reliquis duplo major, plana, corollae adpressa.

Calyx monophyllus, profunde quadrifidus: *laciniis* linearibus, acutis, ciliatis, duae bracteae majori oppositae, reliquis latiores.

Corolla monopetala, ringens. *Tubus* cylindraceus, longitudine calycis. *Labium superius* ad palatum depressum, dein adscendens hians, emarginatum, crenulatum, venosum: *inferius* majus, trifidum, lacinia intermedia angustiore; palato convexo, faucem occludens.

Stamina. *Filamenta* quatuor, intra faucem corollae, quorum duo exteriora minima, duo interiora majora, filiformia, superne incurva, desinentia in duo corpora pellucida, cohaerentia, antheras mentientia, cum quibus arcum formant. *Antherae* duae, ovales, dictis corporibus inferne adhaerentes, uniloculares.

Pistillum. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, staminibus paulo brevior, persistens. *Stigma* semiorbiculatum, versus antheras oblique adscendens.

PERICARPIUM. CAPSULA ovata, unilocularis, bivalvis: *valvulis* ab apice ad basin dehiscentibus, singulis iterum externe semibifidis.

SEMINA plurima, minima, subglobosa; *receptaculo* proprio, quadrangulo pyramidali affixa.

De corpusculis, quibus Antherae adhaerent, nil habet *Aublaetius* nec in descriptione nec in figura; differt praeterea *Aublaetii*, quod Stigma bifidum: attamen unam eamdemque plantam esse eo certius asseverare possum, dum in omnibus convenit planta *Rohrii* cum specimine ab ipso *Aublaetio* lecto.

Planta haec sub nomine je m'en fou in Bajon. Memoires de Cajenne Tom. I. pag. 104 et sequ. occurrit. Adstringens validum. Abutitur ad reprimendum et adstringendum effectus Siphilitidis, hinc nomen supra dictum dederunt incolae, quam vis morbum minime curat. *von Rohr.*

RUELLIA.

RUELLIA ALOPECUROIDEA, foliis ovatis glabris obscure repandis, spicis terminalibus pilosis, caule repente.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

CAULIS herbaceus, subtetragonus, glabriusculus, ramosus.

FOLIA petiolata, pollicaria vel parum ultra, basi parum attenuata, acutiuscula, nervosa, subavenia.

SPICAE ex apice ramorum, pedunculatae, vix pollicares, oblongae, imbricatae, craffitie pennae cygneae. *Bracteae* duae ad basin calycis, subulatae.

CALYX pentaphyllus: *foliolis* quatuor subulatis, quinto parum longiore, lineari-lanceolato aristato, subvenoso, omnibus membranaceis, pallidis, lineis tribus coloratioribus, ciliatis.

VITEX.

VITEX TRIFLORA, foliis ternatis glabris, pedunculis axillaribus terminalibusque trifloris.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ħ

RAMI inferne teretiusculi, glabri, purpurascentes, superne tetragoni ferrugineoque subpubescentes, articulati: articuli bipollicares. *Gemmae* aureo-ferrugineae.

FOLIA petiolata, ternata: *foliola* brevissime petiolata, bi ad quinquepollicaria, lateralia parum minora, elliptico-lanceolata, extrorsum latiora basin versus sensim

parum angustata, acuminata, acumine obtuso, venosa, utrinque glabra, integerrima.

Petioli purpurascentes, supra canaliculati, sesquipollicares, apice aureo-tomentosi.

Pedunculi axillares, oppositi, solitarii, terminales gemini, longitudine petiolorum, compressi. *Pedicelli* terni, uniflori, semipollicares; intermedius brevior. *Bracteae* duae setaceae, versus apicem et ad basin pedicellorum lateralium.

Calyx infundibuliformis, fere pollicaris, bilabiatus. *Labium superius* bifidum: laciniis ovato-lanceolatis, acutis; *inferius* minus profunde sectum, trifidum: laciniis ovatis, acutis, omnes venosae, oculo armato pilis raris adspersae, integerrimae.

Corolla monopetala, calyce duplo longior, extus aureo-tomentosa, intus glabra, quinquefida: *laciniae* duae superiores, ovatae, acutae, duae inferiores oblongae, obtusissimae: quinta intermedia inferior subrotunda, reliquis triplo latior, dentato-subincisa.

Stamina. *Filamenta* quatuor, tubo inserta, villosa, corolla parum breviora; duo parum breviora et angustiora. *Antherae* globosae, fuscae.

Pistillum. *Germen* superum, inferne glabrum, fuscum, apice aureo villosum, subglobosum. *Stylus* filiformis, longitudine corollae, glaber. *Stigma* bifidum, acutum.

Calyx parum diversus a congeneribus, corolla vero eadem. Fructum non vidi.

VITEX capitata, foliis quinato-digitatis: foliolis lanceolatis glabris integerrimis, floribus capitato-subumbellatis.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Arbor mediocris.

Rami teretiusculi, cicatricati, ad cicatrices parum dilatati et tetragoni, glabri, cortice cinereo, laeves: *ramuli* foliosi et floriferi, inferiores alterni, terminales saepe terni, alternatim compressi.

Folia ad apices ramulorum, opposita, approximata, petiolata, patentia: *foliola* quinque, tenera, intermedia petiolata, extima sessilia, quadripollicaria, lateralia sensim minora, omnia lanceolata, attenuata, integerrima, utrinque acuta, venosa, glaberrima.

Petiolus bi-sive tripollicaris.

Pedunculi axillares, solitarii, longitudine petioli, glabri, tenues. *Flores* sex ad duodecim in apice pedunculi, primum sessiles, demum brevissime pedicellati. *Bracteae* nonnullae minutae ad basin calycis.

Calyx, uti corolla, villoso subsericeus, persistens, monophyllus, subcampanulatus, quinquedentatus: *fructiferus* quintuplo major, hemisphaericus, glaber, venoso-subreticulatus.

Corolla unguicularis. *Labium superius* bifidum: *laciniis* ovatis acutis; inferius trifidum; lacinia intermedia majore subrotunda, crenulata, laterales figura et magnitudine reliquarum. *Faux* villosa.

Stylus longitudine corollae. *Stigma* bifidum.

Drupa ovato-oblonga, submucronata, piso duplo major. *Putamen* quadriloculare: *loculis* monospermis.

AMASONIA.

AMASONIA erecta, foliis lanceolato-ovatis subserratis scabris, bracteis sessilibus flore longioribus.

Amasonia erecta. Lin. Suppl. pag. 294.

AMASONIA punicea, foliis lanceolato-ovatis serratis laevibus, bracteis petiolatis flore brevioribus.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Frutex bi- vel tripedalis. *Rami* erecti, pedales et ultra, teretes simplicissimi, in pedunculo desinentes, fusci, ad lentem villis rarioribus adspersi, leviter canescentes.

Folia petiolata, sparsa, bi- sive tripollicaria, elliptico-lanceolata, inferiora interdum obovata, basi attenuata, utrinque acuta, inaequaliter serrata: serraturis submucronatis, venosa, adultiora glabra, margine subvillosa; juniora subtus villosiuscula. Folium unum vel alterum superne in pedunculo, remotissimum, lanceolatum vel lineare, villosum.

Racemus terminalis, longissime pedunculatus, bipollicaris vel ultra. *Flores* alterni, secundi: *pedicelli* inferiores triflori, superiores uniflori. *Bracteae* obovatae, petiolatae, mucronatae, serratae, subtus, uti pedicelli et pedunculus superne subvillosae, supra puniceae, acuminatae, pedicello parum longiores.

Calyx persistens, pubescens, quinquefidus: *laciniis* ovatis, acuminatis, acumine ciliato.

Corolla monopetala: *tubus* subcompressus: *lacinia* superior angustior, reliquae ovatae.

Stamina. *Filamenta* quatuor, declinata, corolla longiora. *Antherae* oblongae.

Pistillum. *Germen* globosum. *Stylus* filiformis. *Stigma* acutum.

Pericarpium. Bacca oblonga, piso parum major. *Semina* quatuor, extus convexa.

Sub nomine Taligaleae dedit *Ryan*, convenit quoque cum Taligalea campestri *Aubl.* fl. gu. tab. 252. habitu, foliis, bracteis coloratis, calycibus, figura corollae, differt modo caule fruticoso, stigmate simplici, et fructu tetraspermo, quæ omnia potius differentiae speciei quam generis sunt. Fructus certe Bacca est, an semina interdum forte abortientia.

Amasoniam et Taligaleam congeneres esse, suspicat Celeb. *Schreberus.* Certe inter se tam affines sunt, ut potius dubitandum num specie differunt quam genere, conveniunt enim in omnibus, diversae modo quoad fructum secundum descriptiones. Absona autem non videtur sententia *Schreberi,* quod *Linnaeus* tantum fructum imperfectum vidit. Ideoque plantam descriptam, potius ad Amasoniam referre volui, quam novum et incertum genus condere.

PASSIFLORA.

PASSIFLORA GLANDULOSA, foliis ovatis oblongis utrinque glabris integerrimis, corollis tubulosis.

Passiflora glandulosa, foliis ovatis, integerrimis, coriaceis: calycinis foliolis biglandulosis: corona omnium brevissima. CAVANIL. dissert. 10. pag. 453. tab. 281.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, fusci, glabri, laeves, rigidi.

FOLIA petiolata, tripollicaria, ovato-oblonga, firma, venosa: supra nitida; subtus subreticulata, glauco-rufescentia.

Petiolus unguicularis, glaber, versus basin biglandulosus.

Cirrhi axillares: tuberculum parvum parum supra horum axillas.

Stipulae caducae.

PEDUNCULI axillares, longitudine petioli. *Pedicelli* tres, alterni, pollicares, uniflori. *Flores* purpurei.

COROLLAE *tubus* vix pollicaris: *laciniae exteriores* lanceolatae, longitudine tubi; *interiores* angustiores.

FRUCTUS edulis. *von Rohr.*

TRIGONIA.

CHARACTER ESSENTIALIS. CALYX quinquepartitus. PETALA quinque, inaequalia; supremum basi intus foveolatum. *Nectarium* squamae duae ad basin germinis. *Filamenta* nonnulla sterilia. CAPSULA leguminosa, trigona, trilocularis, trivalvis.

TRI-

TRIGONIA VILLOSA, foliis obovatis subtus tomentosis incanis.

Trigonia villosa: foliis ovatis integerrimis, fructu longo rufescente. AUBL. fl. Guian. pag. 188. tab. 149.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, inferne glabri, superne villosi: *ramuli* incano-tomentosi.

FOLIA in ramulis junioribus petiolata, opposita, bi- vel tripollicaria, ovata, basin versus attenuata, e costa parum ultra folium excurrente mucronata, margine parum reflexa, supra glabra, in costa tantum flavescente villosa, secundum nervos lineata; subtus tomentosa, incana, venoso-reticulata, nervis et venis elevatis flavescenti-villosis.

RACEMI ex ultimis axillis simplicissimi, terminales compositi: rami oppositi, patentissimi, sursum versus decrescentes. *Pedicelli* oppositi vel alterni, patentissimi, uti pedunculi flavido-tomentosi. *Bracteae* duae setaceae ad basin singuli pedicelli.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, extus tomentosis, incanis, intus glabris, unicum interius, reliquis parum latius, extus niveum dorso linea elevata viridi, corollam fere aequantibus.

COROLLA pentapetala: *petalum* superius reliquis latius, extus basi gibbum, intus e regione gibbi foveola marginibus villosis: duo lateralia parum longiora, lineari-cuneata, subfalcata, duo inferiora oblonga in medio lateris interioris versus marginem gibba.

Nectarium squamae duae, rigidiusculae, minutae, rufescentes, glabrae, utrinque ad basin germinis, altero margine basi parum connatae.

STAMINA. *Filamenta* decem recta ad petala duo inferiora, ad alterum latus germinis, primum in unum connata, demum in duo corpora divisa, filamenta quinque in singulo: *laciniis* tribus aequalibus, antheriferis; duobus sensim minoribus, sterilibus. *Antherae* parvae, subrotundae.

PISTILLUM. *Germen* ovatum, villosum, incanum. *Stylus* unicus. *Stigma* planum.

Cum filamenta non nisi increscente germine in duo corpora discedunt, rectius forte erit Trigoniae genus Classi monadelpharum inserere.

TRIGONIA LAEVIS, foliis oblongis utrinque glabris nitidis.

Trigonia laevis foliis ovatis, fructu brevi, aspero. AUBL. fl. Gu. pag. 390. tab. 150.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

RAMI inferne punctis numerosissimis elevatis adspersi, glabri, teretes; superne compresso-subtetragoni, villosiusculi.

FOLIA

FOLIA petiolata, opposita, bi s. tripollicaria, oblonga, acutiuscula, integerrima, utrinque glabra, excepta costa, venosa, nitida, subtus pallidiora.

Petioli semiunguiculares, subvillosi. *Stipulae* nullae.

RACEMI ex axillis supremis et apice ramorum, erecti, stricti: terminales tripollicares, basi ramis nonnullis oppositis, axillares simplicissimi, pollicares vel parum ultra. *Flores* dimidio minores quam in T. villosa, plerumque solitarii, interdum gemini, breve pedicellati, extus canescentes. *Bractea* minuta ad basin pedicellorum.

CALYCIS *foliola* lanceolata, subcinerea.

Nectarium ut in tomentosa.

CROTALARIA.

CROTALARIA LOTIFOLIA, foliis ternatis: foliolis cuneiformibus emarginatis subtus villoso-subsericeis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris.

Crotalaria trifolia fruticosa, foliis glabris flore e luteo viridi minore. SLOAN. hist. 2. pag. 33. tab. 176. fig. 1. 2.

Crotalaria lotifolia, flore parvo variegato. DILL. Elth. 121. tab. 102. fig. 121.

Crotalaria latifolia: foliis ternatis obovatis, floribus lateralibus subracemosis. LIN. Syst. Veget. pag. 650.

Ex insula St. Crucis miserunt *Pflug* et *von Rohr.* ħ

FRUTEX. *Rami* sparsi, teretes, inferne glabri, superne e villis minutis adpressis flavescentibus subsericei.

FOLIA petiolata, ternata: *foliola* subsessilia, unguicularia, lateralia parum minora, supra glabra, subtus e villis flavescentibus adpressis subsericea, avenia, enervia.

Petioli foliis parum longiores.

Stipula utrinque minuta, linearis, demum evanescens.

Pedunculi axillares, petiolo quadruplo vel triplo breviores, filiformes, uniflori. *Flores* nutantes.

CALYX *laciniis* lanceolatis, attenuatis, oculo armato villosis.

COROLLA unguicularis.

LEGUMINA juniora villoso-cinerea.

Nomen triviale a *Dillenio* absque dubio mutuavit *Linnaeus*, ideoque non latifolia sed lotifolia dicenda. Quod caulis fruticosus est et pedunculi uniflori, ex tribus speciminibus optime conservatis vidi.

CROTALARIA PUBERA, foliis ternatis: foliolis oblongis obtusis subtus leguminibusque racemosis villosis.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.*

RAMI lignosi, teretes, filiformes, ope lentis subvillosi.

FOLIA petiolata, ternata: *foliola* brevissime petiolata, subobovata, basi acuta, avenia, enervia, pallide viridia, mucronata, supra glabra, subtus villis adpressis frequentibus, subcanescentia, unguicularia: lateralia parum minora.

Petioli universales semipollicares, teretes.

Stipulae subulatae, minutae, deciduae.

RACEMI axillares et terminales, folio longiores. *Flores* parvi, remoti, ope lentis extus villosi. *Bracteae* minutae, setaceae.

CALYCIS *laciniae* lanceolatae.

LEGUMINA oblonga, pendula, vix unguicularia.

Quantum e specimine conjicere licet, rami decumbentes sunt.

TRAGIA.

TRAGIA CORNICULATA, foliis subcordato-ovatis attenuatis subintegerrimis, valvulis capsularum bicornibus.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ⊙

RADIX fibrosa.

CAULIS herbaceus, erectus, sesquipedalis, pilosus, teres, ramosus. *Rami* alterni, patentes, simplices.

FOLIA petiolata, alterna, pollicaria vel bipollicaria, subcordato-ovata, attenuata, integerrima, basi interdum dente uno vel altero obscuro, pubescentia, avenia, obsolete nervosa.

Petiolus semipollicaris.

FLORES *masculi* parum infra petiolum vel laterales, in spica filiformi, unguiculari digesti, minutissimi.

CALYX tripartitus: *laciniis* erectis, conniventibus, obovatis.

Filamentum inter singulam laciniam calycis propendens. *Anthera* globosa.

Foeminei infra spicam masculam, folio antecedente propiores, solitarii, pedunculati.

CALYX sexpartitus, deciduus: *laciniis* ovatis, minutis.

Germen oblongum. *Stylus* trifidus. *Stigmata* simplicia.

CAPSULA triquetra, oblonga, basi apiceque truncata glabra: valvulae superne et inferne bicornes.

MABEA.

MABEA TAGUARI, foliis ovali-oblongis subserratis.

Mabea taguari folio ovato, obtuso, subtus venis rubris notato. AUBL. fl. Guian. pag. 870. tab. 334. fig. 2.

In Cajenna legit *von Rohr.* ħ

RAMI teretes, cortice fusco, cinereo punctati, inferne glabri, superne e villis ferrugineis tomentosi: *ramuli* dichotomi.

FOLIA petiolata, alterna, bi-sive tripollicaria, ovali-oblonga, plerumque basi apiceque rotundata, saepe emarginata, interdum acuminata, obsolete serrata, utrinque venosa: supra glaberrima, nitida; subtus glauca, nervis venisque elevatis, purpurascentibus, villosis.

Petiolus vix semiunguicularis, tomentoso-ferrugineus.

Stipula utrinque, subulata, reflexa.

RACEMI terminales, bipollicares, pedunculati, multiflori. *Pedicelli* unguiculares, filiformes, gemini, basi connati, incani.

Bractea lineari-lanceolata, ad basin pedicellorum, apice reflexa, basi marginibus conniventibus: *squama*, ad singulum latus bractei, subcarnosa, ovata, glabra, decidua.

FLORES *masculi* superne, magnitudine vix seminis sinapi.

CALYX monophyllus, hemisphaericus, quinquedentatus: *dentibus* ovatis.

COROLLA nulla.

STAMINA. *Filamenta* fere nulla. *Antherae* circiter duodecim.

FLORES *foeminei* inferne, tres vel quatuor.

CALYX quinquefidus: *laciniis* ovatis.

PISTILLUM. *Germen* ovatum, longitudine calycis, incanum. *Stylus* unicus filiformis, semiunguicularis. *Stigmata* tria, revoluta.

Demto calyce, Gymnanthis *Swartzii* species fere esset.

ECLOGAE AMERICANAE

SEU

DESCRIPTIONES PLANTARUM

PRAESERTIM AMERICAE MERIDIONALIS

NONDUM COGNITARUM,

AUCTORE

b. MARTINO VAHL.

FASCICULUS TERTIUS & ULTIMUS.

CUM TABULIS AENEIS.

HAUNIAE,

IMPENSIS VIDUAE.

TYPIS E. A. H. MÖLLERI, AULAE & UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

MDCCCVII.

Vahl, Martin.
Eclogae Americanae seu
descriptiones plantarum
praesertim Americae Meridionalis
Nondum cognitarum. Fasciculus
Tertius and Ultimus. Hauniae
1807. F. 58 pp. fr. 2.32

according to Pretzel there
should be plates 21-30.

L. B.

Editis jam *Eclogarum americanarum* M. Vahlii fasciculo primo anno 1796, secundo anno 1798 cum tabulis viginti aeneis, nec non *Decadibus* tribus *Iconum*, *inservientium illustrationi plantarum in Eclogis descriptarum*, fasciculus hic tertius, jam absolutus, prelo esset submittendus, cum iter in Galliam anno 1799 suscepit auctor. Redux in patriam, magno suo operi, *Enumerationi plantarum*, totus incumbens, editionem hujus fasciculi minus necessariam duxit, cum descriptiones plantarum novarum & observationes, quas continet, in *Enumeratione* locum invenirent. Quo vero opere morte Auctoris chev! praematura interrupto, scientiae consulere credidimus, publici juris faciendo, quod fasciculo tertio *Eclogarum* reliquit, cui manus extrema jam dudum accessit. Ultra indicem plantarum in toto opere descriptarum vel dilucidatarum, nil nobis addere fas erat.

Hauniae 1806.

N. Tönder Lund. P. Thonning.

EXPLICATIO

TABULARUM.

TAB. XXI. PSYCHOTRIA MEGALOSPERMA.

XXII. CORDIA DENTATA.

XXIII. PALIURUS RETICULATUS.

XXIV. MIMOSA LUCIDA.

XXV. MIMOSA ROSEA.

XXVI. MIMOSA MACROSTACHYS.

XXVII. MIMOSA LIGUSTRINA.

ZANTHOXYLUM ALBUM.

a) Corolla mascula magnitudine naturali.

b) Stamina cum pistilli rudimento, calyce corollaque ablatis, ope lentis aucta.

c) Rudimenta pistillorum receptaculo insidentia, aucta.

d) Flos foemineus magnitudine naturali.

e) Flos foemineus lente visus.

f) Pistillum floris foeminei lente auctum.

g) Capsulae magnitudine naturali.

h) Capsula solitaria.

i) Capsulae transversim sectae.

k) Tunica interior cum semine.

l) Tunica interior absque semine.

m) Semen cum pedicello.

XXVIII. MIMOSA TRAPEZIFOLIA.

XXIX. MIMOSA NIGRICANS.

XXX. RUDOLPHIA VOLUBILIS.

SCIRPUS.

SCIRPUS SERRULATUS, culmo tereti filiformi nudo, spicis terminalibus ovatis solitariis, involucro diphyllo serrulato-scabro.

Fimbristylis serrulatum. VAHL Enum. pl. 2. pag. 285.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

FOLIA radicalia, inferne basin culmi vaginantia, pollicaria vel parum ultra, glabra, obtusiuscula, apice serrulato-scabra.

CULMI plures, erecti, longitudine digiti minimi, aphylli, teretes, striati, glabri.

INVOLUCRUM terminale, diphyllum: *foliolis* rigidiusculis, margine serrulato-scabris, glabris; altero semiunguiculari, obtusiusculo; altero subulato parum breviori & angustiori, acuto.

SPICA terminalis, foliolis involucri parum brevior, solitaria, sessilis, ovata. *Squamae* ovatae, dorso convexae, pallidae, mucrone viridi terminatae.

STYLUS bifidus.

SCIRPUS HIRTELLUS, pilosus, culmo tereti capillari nudo, spicis geminis: altera pedunculata; involucro diphyllo.

Fimbristylis hirtellum. VAHL Enum. pl. 2. pag. 286.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

FOLIA radicalia, capillaria, palmaria, striata, uti culmi & foliola involucri pilosa, ope lentis punctis fuscis adspersa.

CULMI erecti, laxi, capillares, teretes, aphylli, basi vaginis foliorum tecti, striati, longitudine foliorum.

INVOLUCRUM terminale, diphyllum: *foliolis* erectis, capillaribus; altero bipollicari, altero brevissimo.

SPICAE terminales, geminae, ovatae, glabrae, magnitudine seminis Cannabis: altera sessili, foliolo involucri minori parum breviore; altera pedunculata, pedunculo semiunguiculari. *Squamae* ovatae, acutae, extus convexae, pallide ferrugineae.

STYLUS bifidus.

CYPERUS.

CYPERUS DEPAUPERATUS, culmo angulato capillari nudo, spicis terminalibus solitariis, involucro vaginisque nullis.

Cyperus depauperatus. VAHL Enum. pl. 2. pag. 305.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.*

FOLIA radicalia, structura culmi. *Vaginae* nullae.

CULMI caespitosi, bi- sive tripollicares, incurvi, capillares, tetragoni, quadrisulcati, glabri, laeves, aphylli.

INVOLUCRUM nullum.

SPICA terminalis, parva, oblonga, acuta, compressa, tri- vel quinquefiora. *Squamae* lanceolatae, acutae, dorso purpureae, margine pallidae.

STAMINA tria.

A Cypero minimo LIN. omnino distinctus;

A Cypero setaceo RETZ. culmis incurvis, basi absque vaginis.

KRAMERIA.

KRAMERIA IXINA. LIN. Spec. plant. ed. 2. pag. 177.

Krameria (Ixine). LOEFLING. it. edit. Svec. pag. 195. Versio germanica pag. 258.

In Curacao observavit *von Rohr.* ♄

FRUTEX. *Rami* sparsi, teretes, villosi, subcinerei.

FOLIA alterna, petiolata, unguicularia vel minora, crassiuscula, oblonga, superiora linearia, basi acuta, apice mucrone rigido pungente terminata, integerrima, utrinque villosa, cinerea, mollia, avenia, enervia. *Spinulae* geminae, erectiusculae, parvae, in axillis foliorum, forte rudimenta foliorum.

Petioli longitudine foliorum.

RACEMUS terminalis, erectus. *Flores* approximati: *pedicelli* breves. *Bractea* ad basin singuli pedicelli & duae ad basin calycis, lineares, mucronatae, cinereae.

CALYX tetraphyllus: *foliolis* oblongis, dorso sericeis, margine glabris: interioribus duobus latioribus.

COROLLA nulla.

Nectarium triphyllum: *foliolis* crassiusculis, rigidulis; unicum superius tripartitum: laciniis spathulatis, rectis; duobus inferioribus oblongis, concavis, truncatis, brevioribus.

STA-

STAMINA. *Filamenta* inter foliolum superius nectarii & germen, quatuor, adscendentia, clavata: duo intermedia breviora, ad medium connata: duo lateralia longiora, brevioribus basi connata; omnia terminata *Anthera* acuta, apice perforata, a filamento vix distinguenda.

PISTILLUM. *Germen* superum, oblongum, pilis albidis hirsutum. *Stylus* glaber, adscendens. *Stigma* acutum.

FRUCTUS globosus, magnitudine pisi, pilis albis hirtus, setisque plurimis purpurascentibus oculo armato retrorsum spinulosis tectus, unilocularis, monospermus.

Ad Tetrandriam amandavit LINNÆUS, LOEFLINGIUS vero, & quidem meliore jure, inter Didynamas collocavit, num ne vero rectius foret monadelphis adnumeranda, cum filamenta connata sunt?

Descriptio partium fructificationis paulo aliter traditur in Prodromo Florae peruvianae pag. 14.

PSYCHOTRIA.

PSYCHOTRIA MEGALOSPERMA, foliis lanceolato-ellipticis subcoriaceis nitidis, paniculae ramis dichotomis foliis longioribus, baccis oblongis.

Jacquinia venosa, foliis ovato-lanceolatis venosis submembranaceis. SWARTZ. prodr. pag. 47.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI glabri, inferne teretes, superne alternatim compressi.

FOLIA opposita, petiolata, quinquepollicaria, patentia, lanceolato-elliptica, parum acuminata, basi apiceque acuta, integerrima, subcoriacea, utrinque glabra, venosa, supra nitida, subtus pallide viridia, costa flavescente.

Petioli semipollicares. *Stipulae* parvae, ovatae, indivisae, deciduae.

PANICULA terminalis, erecta, foliis longior. *Pedunculus* communis uti pedunculi partiales & pedicelli compressi, flavescentes: *partiales* oppositi, distantes, bis dichotomi. *Flos* dichotomiae, uti reliqui pedicellatus. *Pedicelli* versus florem incrassati.

CALYX margo superus, integerrimus.

COROLLA glabra.

BACCAE oblongae, fere pollicares.

Differt a Psychotria glabrata SWARTZII foliis ellipticis, nec ovatis.

a — — laurifolia Ej. fructibus oblongis, nec subrotundis.

a — — citrifolia Ej. stipulis deciduis, nec persistentibus.

a — — tenuifolia Ej. stipulis indivisis, nec bifidis.

CRYPTOSTOMUM.

CRYPTOSTOMUM CORIACEUM.

Moutabea guianensis. AUBL. fl. guian. pag. 679. & 680. tab. 274.

Cryptostomum. SCHREB. gen. pag. 137.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

RAMI rigidi, teretes, e fusco flavescentes, glabri.

FOLIA alterna, petiolata, tri- ad sexpollicaria, oblongo-lanceolata, inferne versus parum angustiora, basi subovata, apice subacuminata, acuta vel obtusiuscula, integerrima, coriacea, utrinque glaberrima, obsolete nervosa, avenia, subtus viridi-flavescentia.

Petioli semiunguiculares, fusci, subtus convexi, supra planiusculi, parum supra basin articulo discedentes.

Stipulae nullae.

PEDUNCULI ex axillis superioribus solitarii, folio dimidio breviores. *Flores* sessiles, alterni.

CORDIA.

CORDIA MACROPHYLLA, foliis ovato-oblongis extrorsum remote subserratis subtus reticulatis junioribus sericeis, racemis dichotomis.

Cordia macrophylla foliis ovatis villosis sesquipedalibus. LIN. Syst. Veget. ed. 14. pag. 230.

Ex insula St. Crucis misit *West.* ♄

RAMI subdichotomi, pilis brevissimis ferrugineis tecti.

FOLIA sparsa, petiolata, pedalia & ultra, inferne spithamam fere lata, oblonga, basi ovata, apice acuminata, supra laeviuscula: nervis ferrugineo-villosis; subtus pallidiora, venoso-reticulata, venis villosis, supra medium extrorsum versus dentibus remotis mucronatis serrata, inferne versus integerrima, interdum undique integerrima: juniora villis nitidis minutis tomentosa, mollia: nervis aureis.

Petioli semipollicares, subtus convexi, supra sulco exarati.

RACEMI e divisione ramulorum, decompositi, dichotome divisi: *racemuli* ante florescentiam revoluti. *Flores* parvi, sessiles, conferti.

CALYX campanulatus, laevis, tomentosus.

COROLLA calyce parum longior.

CORDIA RETICULATA, foliis ovato-oblongis acuminatis reticulatis nitidis subtus scabris, racemis dichotomis, calycibus tomentosis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI teretes, glabri, cortice subfusco, apice leviter tomentoso-ferruginei.

FOLIA petiolata, alterna, quadripollicaria, persistentia, ovato-oblonga, acumine pollicari terminata, integerrima, utrinque glabra, nitida, venoso-reticulata, supra laevia; subtus venis exstantibus, scabra.

Petioli unguiculares.

RACEMUS terminalis, erectus, ramosus: *rami* alterni, semel vel bis dichotomi, uti calyces ferrugineo-tomentosi. *Flores* quatuor vel quinque in apice pedunculorum, vix pedicellati.

CALYX tubulosus, unguicularis, laevis, tomentosus, trifidus: *laciniae* oblongae, obtusae; fructiferus campanulatus.

COROLLAE *tubus* longitudine calycis; *laciniae limbi* oblongae, obtusiusculae.

STAMINA quinque, longitudine corollae.

Stylus bis bifidus. *Stigmata* dilatata, transversa.

DRUPA obovata, glabra, piso duplo major.

CORDIA CALOPHYLLA, foliis elliptico lanceolatis acuminatis glabris subcoriaceis, supra laevibus subtus scabriusculis, corymbis axillaribus.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

RAMI subangulati, glabri, dichotomi, flavescentes.

FOLIA petiolata, alterna, sex-octopollicaria, integerrima, mucronata, utrinque glabra, impunctata, supra laevia, obscureque venosa; subtus scabriuscula, flavescentia.

Petioli semiunguiculares.

CORYMBI axillares, ad latera dichotomiae & apices ramorum cum folio opposito, petiolo triplo longiores.

CALYX laevis, campanulatus, quinquedentatus.

Similis omnino Cordiae flavescenti AUBL. fl. Guian. pag. 226. tab. 89. quoad folia, differt vero, quantum e descriptione & figura concludere licet, inflorescentia.

CORDIA DENTATA, foliis oblongo-subrotundis scabris extrorsum dentatis, ramis petiolisque hirtis, paniculae ramis divaricatis.

Habitat in Curacao. *von Rohr.* ♄

Rami inferne teretes, superne angulati, uti petioli & pedunculi e pilis griseis hirti.

Folia petiolata, sparsa, bi-quadripollicaria, oblongo-subrotunda, raro oblonga, a medio ad apicem inaequaliter remote dentata, obscure venosa, supra e punctis minutis numerosis scabra; subtus impunctata, laeviora, parum pallidiora, axillis nervorum villosis, coeterum glabra.

Petiolus unguicularis.

Panicula terminalis, magna, dichotome divisa: *Pedunculi partiales* patentissimi, ramis divaricatis. *Flores* tres vel quinque in ultimis ramulis, sessiles.

Calyx campanulatus, striatus, villosiusculus, obscure denticulatus.

Corolla campanulata, calyce quintuplo major, quinqueloba.

Drupa globosa, nivea, magnitudine Pruni spinosi.

Paliurus.

PALIURUS reticulatus spinis geminis rectis, foliis ovalibus subdenticulatis reticulatis subtus pubescentibus, corymbis axillaribus.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ħ

Arbor. *Rami* flexuosi, inferne glabri, teretes; superne angulati, ferrugineo-subtomentosi. *Ramuli* alterni, structura ramorum, ad basin utrinque muniti spina erecto-patente, glabra, rigida, fere unguiculari.

Folia petiolata, alterna, bipollicaria, ovalia, obtusissima, venosa, reticulata, trinervia, supra glabra: subtus pubescentia, venis nervisque exstantibus.

Petiolus vix semipollicaris, pubescens. *Stipula* utrinque ad basin petioli, subulata, tomentosa, rigida.

Corymbi axillares, solitarii, pedunculati, flavescenti-ferrugineo tomentosi, multiflori, folio breviores. *Bractea* linearis ad basin pedicellorum.

Calyx monophyllus, quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis.

Corolla. *Petala* quinque, inter incisuras calycis, unguiculata, spathulata, lamina intus cava, longitudine calycis.

Nectarium nullum nisi margo imperceptibilis in fundo corollae.

Stamina. *Filamenta* quinque, petalis opposita, eorumque longitudine. *Antherae* globosae.

Stylus unicus, longitudine fere corollae. *Stigma* subtridentatum.

Drupa globosa, magnitudine Cerasi.

Trade-

TRADESCANTIA.

TRADESCANTIA UMBELLATA, caule erecto simplici, umbellis terminalibus pedunculatis, floribus racemosis.

Habitat in Insula Trinitatis. *Ryan.*

CAULIS erectus, sesquipedalis, simplicissimus, striatus, crassitie pennae anserinae, glaber.

FOLIA alterna, inferiora in petiolum membranaceum attenuata, distantia, superiora semiamplexicaulia, conferta, bi- vel quinquepollicaria, elliptica, apice attenuata, acuta, integerrima, multinervia, villis rarioribus adspersa, pilis brevibus frequentioribus versus marginem ciliata.

Vaginae laxae, caule ampliores, unguiculares, ciliatae.

PEDUNCULUS communis terminalis, erectus, quadri- vel sexpollicaris, villosus: *partiales* plerumque quinque, interdum gemini, umbellati, patentes, bipollicares, e casu pedicellorum dentati, pubescentes. *Flores* racemosi, alterni, ante florescentiam nutantes; *pedicelli* unguiculares, solitarii, sub flore crassiores, approximati, uniflori. *Bracteae* squamula ad basin pedicellorum.

CALYX triphyllus: *foliola* lanceolata, obtusa.

COROLLA tripetala: *petala* longitudine calycis.

STAMINA tria, glabra, longitudine petalorum.

Germen oblongum, triquetrum. *Stylus* staminibus parum longior, superne incurvus. *Stigma* simplex, acutum.

CAPSULA trilocularis.

GUAREA.

GUAREA TRICHILIOIDES, foliis pinnatis: foliolis exterioribus majoribus, racemis longissimis, floribus extus germinibusque tomentosis.

Guarea trichilioides. LIN. Syst. Veget. pag. 360.

Melia Guara, JACQU. Am. pag. 126. t. 176. f. 37. CAVANILLES Diss. VII. pag. 366. t. 210.

Habitat in insula St. Crucis & Puertorico. *von Rohr*, *West.* ♄

FOLIA quinque- ad novemjuga. *Foliola* petiolata, opposita, extima quadri- ad octopollicaria, interdum ovali-oblonga, obtusissima, interdum elliptico-lanceolata, breviter acuminata: acumine obtuso.

Petioli laeves, supra canaliculati.

Racemi, praesertim in speciminibus e Puertorico, saepe sesquipedales. *Pedunculi partiales* sparsi, distantes, inferiores compositi, sursum sensim minus compositi.

Flores terni, subpedicellati.

GUAREA MACROPHYLLA, foliis pinnatis: foliolis ovato-oblongis, petiolis rugosis, racemis brevibus, floribus germinibusque tomentosis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

Rami glabri, fusco-cinerascentes.

Folia duodecimpollicaria & ultra. *Foliola* petiolata, opposita, trijuga, oblonga, obtusa, basi ovata, utrinque glabra, venosa, integerrima; extima septem- vel octopollicaria; interiora minora.

Petiolus teretiusculus, basi supra canaliculo exaratus, uti petioli partiales transversim approximate rimoso-rugosi.

Racemi axillares & terminales, subcompositi, folio duplo breviores. *Pedunculi partiales* sparsi, triflori. *Flores* pedicellati: *pedicellis* flore parum brevioribus.

Calyx quadrifidus: *laciniis* ovato-subrotundis.

Petala linearia, obtusa, extus sericeo-tomentosa.

Staminum tubulus ut in Gu. trichilioide.

Germen villosum.

Quamvis difficile sit characterem tradere, unde lucide appareat, quomodo a praecedente dignoscatur, nihilo tamen minus eam omnino specie esse diversam credo. Ambae enim inter se collatae habitu ita differunt, ut non dubito, quin unusquisque primo intuitu eas diversas esse judicet. Praeter notas in differentia allatas differunt; primo: quoad folia, quae in hac specie basi ovata sunt, nec utrinque vel acutiuscula vel rotundata; secundo: quod racemi foliis duplo breviores sunt, non autem ejusdem longitudinis vel saepe sesquipedales; tertio: floribus duplo vel triplo majoribus pedicellis longitudine fere florum, nec pedicellis brevissimis ut in Gu. trichilioide.

GUAREA GLABRA, foliis pinnatis: foliolis exterioribus minoribus, floribus germinibusque glabris.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

Folia paripinnata. *Foliola* petiolata, opposita, septem- vel octopollicaria, elliptico-lanceolata, utrinque acutiuscula, acuminata, integerrima, venosa, glabra.

Racemi

Racemi superne, foliis multoties breviores. *Pedunculi* subangulati, glabri, e casu pedunculorum partialium dentato-cicatricati. *Pedunculi partiales* sparsi, triflori: *pedicelli* glabri, flore longiores. *Flores* similes Guareae trichilioidei, nisi quod omnino glabri Capsula depressa, tetragona, angulis obtusis, magnitudine juglandis, glabra, quadrilocularis: interdum semina duo vel tria abortiunt, in quo casu capsula globosa, magnitudine Pruni spinosi & unilocularis est.

Quartam, hujus generis forte speciem, foliis simplicibus observavit Ryan in Monserrat. Hanc non vidi ideoque omitto, praesertim cum dubito num hujus generis revera sit species, vel potius propter folia simplicia species Quivisiae.

Curapa *Aublaetii* fl. Guian. Tom. 2. p. 32. tab. 387. similis est omnino Guareae flore, differt vero fructu teste *von Rohr*.

Cupania.

CUPANIA discolor, foliis pinnatis: foliolis lanceolato-oblongis integerrimis utrinque glabris laevibus.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.* ħ

Arbor. *Rami* teretes, griseo elevato-punctati, glabri.

Folia petiolata, sparsa, spithamaea vel ultra, pinnata cum pari, rarius cum impari, quadrijuga: *foliola* petiolata, opposita, quadripollicaria, interiora minora, obtusa, apice subemarginata, basi acuta, subtilissime venosa, supra nitidiuscula, viridiglaucescentia, subtus rufescentia.

Petioli communes teretes, glabri: *partiales* brevissimi.

Racemi axillares, basi ramo uno alterove, coeterum simplicissimi, longitudine foliorum. *Pedunculus communis* e casu florum sparse denticulatus.

Capsula turbinata, trilocularis, glabra, stylo mucronata, triloba: lobis compressis.

Flores quidem non vidi, cum vero fructus exacte Cupaniae est, vix dubito quin species hujus generis sit.

CUPANIA diphylla, foliis conjugatis integerrimis subtus pubescentibus, floribus decandris.

Habitat in India occidentali. *von Rohr.* ħ

Rami teretes, cortice ferrugineo: inferne glabri, cicatricati, punctis elevatis adspersi: superne uti ramuli flavescenti-ferrugineo tomentosi, angulati.

Folia petiolata, alterna, conjugata: *Foliola* petiolata, oblonga, quadri- vel quinquepollicaria, altero parum minore, obtusa, emarginata, basi acuta, integerrima, venosa: supra glabra, secundum nervos transversales venasque majores lineata, in costa nervis villosis; subtus reticulata, rufescentia, nervis venisque pubescentibus.

Petiolus communis unguicularis, subtus convexus, supra planus: *partiales* parum minores, uti communis ferrugineo-tomentosi.

Pedunculus communis ferrugineo-tomentosus, angulatus. *Flores* breviter pedicellati, conferti. *Bracteae* minutae.

Racemi axillares, solitarii, longitudine foliorum.

Calyx persistens, quinquedentatus.

Stamina decem.

Stigmata tria.

Capsula trigona, triloba, stylo persistente mucronata, trivalvis, ferrugineo-tomentosa.

Semina arillata, ut in Cupania tomentosa.

Cassia.

CASSIA hispidula, foliis bijugis obovatis glabris, petiolis eglandulosis, ramis subhispidis, racemis terminalibus.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

Rami teretes, tenues, superne subtilissime striati, uti petioli et pedunculi e pilis longis subhispidi.

Folia petiolata, bijuga. *Foliola* superne in petiolo, breviter petiolata, opposita, unguicularia, obovata, basi acuta, utrinque glabra, avenia.

Petiolus sesquipollicaris, filiformis, eglandulosus.

Racemi terminales. *Pedunculus* quadri- vel quinquepollicaris. *Pedicelli* circiter quindecim, sesquipollicares, remoti, filiformes. *Bractea* minuta ad basin singuli pedicelli. *Flores* ante florescentiam nutantes.

Calycis *foliola* lanceolata, attenuata, extus rare pilosa.

Stamina decem, fertilia.

CASSIA TRIFLORA, foliis bijugis oblongis subtus villoso-subincanis, pedunculis axillaribus subtrifloris, petiolis eglandulosis.

Habitat in insula St. Crucis. *von Rohr.* ♄

RAMI angulati, cicatricati, glabri, superne foliosi & floriferi.

FOLIA petiolata, alterna, approximata, bi- sive trijuga. *Foliola* opposita, petiolata, sesquipollicaria, interiora minora, utrinque obtusa, nervosa, subtilissime venosa, supra adspersa villis rarioribus, subtus frequentioribus, canescentia.

Petiolus fere tripollicaris, tenuis, pubescens, teres, mucronatus, eglandulosus. *Stipulae* semiunguiculares, subulatae.

PEDUNCULI axillares, solitarii, filiformes, pubescentes, pollicares, tri- vel quadriflori. *Pedicelli* longitudine pedunculi.

CALYCIS *foliola* oblonga.

CASSIA HIRSUTA, foliis subquadrijugis: foliolis ellipticis acutis, petiolis basi glandulosis.

Cassia hirsuta, foliis sejugis late ovatis acuminatis hirsutis. LIN. Syst. Vegetab. pag. 394.

In Surinamo legit *von Rohr.* ♄

RAMI lignosi, flexuosi, angulati, uti tota planta e pilis copiosis sordide cinerei.

FOLIA petiolata, quadri- vel quinquepollicaria, pinnata, tri- vel quadrijuga. *Foliola* opposita, breviter petiolata, sesquipollicaria, interiora sensim minora, elliptica, apice parum attenuata, utrinque acuta, venosa.

Petioli striati, basi glandula fusca sessili. *Stipulae* subulatae.

PEDUNCULI axillares, brevissimi, tri- quadri- vel sexiflori: *pedicelli* alterni, pedunculo communi triplo longiores. *Bracteae* subulatae.

LEGUMEN compressum, lineare, curvum, utrinque ad margines linea elevata longitudinali, villis longis mollibus densis tectum, sordide griseum, obtusum, quadripollicare, multiloculare. *Dissepimenta* membranacea.

SEMINA copiosa, ovato-subrotunda, plerumque compressa, livido-fusca, utrinque planiuscula, in altero latere linea tenui longitudinali notata, ad latus lineae versus medium macula subrotunda, impressa.

CASSIA PALLIDA, foliis subsejugis ovalibus glabris, glandula clavata inter infima, pedunculis axillaribus subquadrifloris.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.* ♄

CAULIS fruticosus, erectus. *Rami* teretes, glabri, cortice cinerascente.

FOLIA petiolata, alterna, quinque- vel sejuga. *Foliola* opposita, petiolata, ovalia, extrorsum parum dilatata, terminalia subcuneiformia, mucronata, pallide viridia, praesertim subtus, vix pollicaria, interiora minora.

Petiolus filiformis, glandula fusca clavata inter par infimum foliolorum.

PEDUNCULI axillares, semiunguiculares, tri- vel quadriflori. *Flores* breviter pedicellati.

CALYX glaber.

LEGUMEN lineare, compressum, tripollicare, rectum.

Differt a Cassia biflora pedicellis unifloris, nec bifloris; foliolis obtusissimis, nec acutis, a Cassia sennoide glandula clavata, nec convexa.

QUASSIA.

QUASSIA CROCEA, foliis ternatis pinnatisque oblongis acuminatis emarginatis, petiolis nudis, racemis axillaribus brevibus.

Simaba guianensis. AUBL. fl. Guian. pag. 400. tab. 153.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

RAMI tenues, teretes, glabri, cortice fusco.

FOLIA petiolata, alterna, ternata, vel quinato-pinnata. *Foliola* subsessilia, opposita, extima saepe quinquepollicaria, interiora minora, oblonga, basi sensim angustata & acuta, apice acuminata obtusa, emarginata, integerrima, subcoriacea, utrinque glaberrima, laevia, avenia, enervia, supra secundum costam longitudinaliter sulco & transversim remote lineis obscuris marginem non attingentibus exarata.

Petioli teretes glabri, basi subtus parum gibbosi.

RACEMI axillares, subcompositi, solitarii. *Pedunculi universales* pollicares; *partiales* inferiores triflori, omnes ope lentis villosi.

Petala quinque, linearia.

STAMINA: *Filamenta* decem, interne basi squamula lineari, ope lentis villosa, munita.

Germen oblongum, quinquelobum, villosum. *Stylus* longitudine staminum. *Stigma* obtusum.

Non

Non dubito, quin *Aubl.* Simaba eadem sit ac mea, exacte enim in omnibus convenit, nisi quod squama ad basin filamenti desit in figura *Aublaetii;* sed si figura filamenti consideratur, apparet, quod inferne dilatatum sit ita, ut sese saepe sistat filamentum cum squama adpressa in specimine sicco. Plantae *Aublaetii*, uti notum, secundum specimina sicca sunt delineatae, hinc facile a pictore omissam vel minus rite traditam esse squamulam filamenti conjicere licet.

Suspicor Arubam Guianensem, *Aubl.* fl. Guian. pag. 293. tab. 115, hujus generis speciem esse.

MELASTOMA.

Decandrae, trinerviae.

MELASTOMA FURFURACEA, foliis oblongis glabris integerrimis, ramis pedunculisque furfuraceo-tomentosis, racemis simplicibus: pedicellis trifloris.

Habitat in India occidentali. ♄

RAMI inferne teretes, purpurascentes, glabri, dichotome divisi, superne obscure tetragoni, uti petioli, foliorum nervi subtus, pedunculi calycesque tecti tomento ferrugineo-furfuraceo.

FOLIA petiolata, opposita, magna, saepe spithamaea, opposito multo minore, trinervia, glaberrima, laevia, subtus pallidiora, acumine brevi obtuso terminata.

RACEMUS terminalis, erectus. *Pedunculus communis* palmaris, compressus: *pedicelli* oppositi, apice dilatati, triflori, breves, inferiores semiunguiculares, superiores sensim breviores. *Flores* subsessiles.

CALYX turbinatus, semiunguicularis, quinquedentatus; *dentibus* minutis.

Petala quinque, oblonga, sessilia.

STAMINA decem, corolla longiora.

Stylus longitudine staminum.

MELASTOMA THYRSOIDEA, glabra, foliis oblongo-ovatis attenuatis glanduloso-denticulatis, racemis terminalibus decompositis: pedicellis trifloris.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

Tota glabra.

Rami tetragoni, oppositi: *ramuli* virides, supremi racemo altiores.

Folia opposita, petiolata, tri-quadripollicaria, patentissima, oblongo-ovata, utrinque attenuata, basi obtusa, denticulata: denticuli distantes, crassi, glandulosi, flavescentes; trinervia, praeter nervum supra basin e nervo laterali ortum, supra transversim simpliciter venosa, subtus pallida, subtilissime venosa.

Petioli sesquipollicares.

Racemus terminalis, cum ramo laterali ulterius excrescens, quinquepollicaris. *Pedunculi communes* gemini, interdum terni, compresso-tetragoni: *partiales* oppositi, sursum sensim decrescentes, *ultimi* triflori. *Flores* omnes pedicellati, minuti. *Bractea* utrinque sub ramificationibus, linearis.

Calyx globosus, truncatus.

Petala quinque, subrotunda, parva.

Stamina decem.

MELASTOMA striata, foliis ovato-oblongis attenuatis glabris dentatis, racemis terminalibus compositis: pedicellis trifloris.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

Frutex sex- vel septempedalis. *Rami* glabri, superne uti nervi foliorum & folia tenella leviter pulverulenti, compressi.

Folia petiolata, opposita, palmaria & ultra, opposito saepe triplo minore, attenuata, pollices tres ad quatuor lata, ovato-oblonga, dentata, basi acumineque integerrima, nervis tribus, praeter nervos marginales, parum supra basin concurrentibus, hinc subtriplinervia, tenera, utrinque glabra.

Petiolus triqueter, supra canaliculatus, subtus convexus, sesquipollicaris.

Racemus terminalis, compositus, erectus, palmaris. *Pedunculi partiales* oppositi, distantes: infimi *pedicellis* racemosis tripartitis; superiores bipartiti *pedicellis* trifloris. *Flores* dichotomiae sessiles, mediocres.

Calyx leviter striatus, glaber, truncatus vel subtrilobus: lobis rotundatis.

Petala quinque, cuneiformia, parva, glabra.

Stamina: *Filamenta* decem, capillaria, glabra, longitudine petalorum. *Antherae* angustae.

Rami inferne teretes, superne tetragoni, versus apicem ad folia parum latiores, compressi, fusci, laeves.

Folia quinquepollicaria, sursum minora, patentia, utrinque glabra, venosa, laevia. *Petioli* pollicares.

Racemi axillares oppositi, patentissimi, folio dimidio breviores. *Pedunculi partiales*, oppositi, semel vel saepe bis bifidi: ramulis bi- sive trifloris, floribus pedicellatis. *Bracteae* subulatae ad basin pedunculorum partialium et pedicellorum.

Calyx subinteger.

Variat foliis latioribus et angustioribus.

AEGIPHILA arborescens, foliis ellipticicis acuminatis glabris planis, corymbis axillaribus calycibus ramisque incanis.

Manabea arborescens: foliis ovatis acuminatis, floribus glomeratis albis. Aubl. fl. Gu. pag. 64. tab. 24.

Habitat in Insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Arbor mediocris.

Rami tetragoni, incani.

Folia opposita, petiolata, palmaria et ultra, acuminata, basi attenuata et per petiolum parum decurrentia, oblique nervosa, obscure venosa, tenera, supra glabra, subtus pallida e villis minutissimis oculo armato conspiciendis: tenella utrinque e tomento incana.

Petiolus sesquipollicaris.

Pedunculi axillares, solitarii, oppositi, petiolis longiores. *Flores* copiosi, in corymbo dichotome diviso, fastigiati, pedicellati uti flos dichotomiae. *Bracteae* sub ramificationibus subulatae, incanae, parvae.

Calyx. Perianthium inferum, persistens, quadridentatum, ante explicationem floris pyriforme, explicatum turbinatum, fructiferum hemisphaericum.

Corolla monopetala, infundibuliformis: *tubo* calyce parum longiore. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* lanceolatis.

Stamina. *Filamenta* vix ulla. *Antherae* quatuor, parvae, in fauce tubi.

Pistillum. *Germen* superum, semiglobosum. *Stylus* unicus, capillaris, corolla duplo longior, profunde bifidus. *Stigmata* simplicia.

Pericarpium. Bacca magnitudine Piperis nigri, globoso-depressa, subumbilicata, laevis, calyce cincta, bi- tri- sive tetrasperma.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ƒ2

FRUTEX tripedalis.

Rami uti reliquae partes plantae glabri, subdichotomi, teretiusculi, apice obscure tetragoni, cortice cinerei, cicatricati, ad cicatrices subnodosi.

FOLIA superne in ramulis, opposita, petiolata, pendentia, saepe palmaria, basi subovata, lanceolata, integerrima, in acumen longum sensim attenuata, membranacea, utrinque glaberrima, trinervia absque nervo marginali, nervi & venae majores plerumque purpurascentes, raro flavescentes.

Petioli laxi, pollicares.

RACEMUS terminalis, erectus, bi- quinquepollicaris. *Pedunculus* ope lentis subfarinosus: *partiales* oppositi, distantes, patentes; infimi *pedicellis* subracemosis, reliqui triflori, flore intermedio sessili, semiunguiculares. *Bracteae* minutae, uti pedunculus & pedicelli purpurascentes.

Flores parvi, calyptrati: *calyptra* hemisphaerica, decidua; interdum ad alterum latus calycis pendens.

CALYX campanulatus, truncatus, interdum obscure bi- sive trilobus, viridi-flavescens, glaber.

Petala cuneiformia.

STAMINA decem.

MELASTOMA ELONGATA, foliis ovato-lanceolatis attenuato-elongatis glaberrimis extrorsum remote dentatis, racemis terminalibus subsimplicibus.

Melastoma acuminata: foliis ovato-lanceolatis exquisite acuminatis, undato- subdentatis, triplinerviis, floribus paniculatis terminalibus. LA MARCK Encl. 4. p. 54. fide herb. la Marck.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ƒ2

RAMI teretiusculi, glaberrimi, tenues: *ramuli* oppositi, basi tetragoni, superne alternatim compressi, ferrugineo-pulverulenti.

FOLIA opposita, petiolata, remota, saepe spithamaea vel parum ultra, infra medium sesquipollicem lata, opposito saepe duplo vel triplo minore, tenera, patentissima, basi obtusa, extrorsum sensim valde attenuata, apicem versus remote denrata, trinervia, absque nervo marginali, nervi laterales rarius supra basin orti vix tamen triplinervia nervi transversales remoti, tenuissime venosa, glaberrima, laevia.

Petioli

Petioli supra sulco exarati, subtus convexi, glabri.

Racemus ex apice ramorum & ramulorum, simplex vel compositus.

Pedunculi partiales oppositi, distantes, uti communis compressi, patentissimi, oculo armato pulverulenti. *Pedicelli* triflori: flos intermedius sessilis. *Flores* glabri, majusculi, calyptrati: *Calyptra* decidua, interdum in lobos duos fissa.

Calyx truncatus, integer, obscure striatus, basi oculo armato pulverulentus, flavovirescens margine pallidiore.

Petala quinque, cuneiformia, subrubescentia: *unguibus* longitudine calycis.

Stamina decem, longitudine petalorum. *Antherae* dorso purpureae.

Stylus staminibus longior. *Stigma* obtusum, flavescens.

MELASTOMA LUTESCENS, foliis ovato-lanceolatis attenuatis glabris extrorsum subdentatis, racemis terminalibus compositis: pedicellis trifloris.

Habitat in montserrat. *Ryan.* ♄

Rami glaberrimi, laeves, inferne teretes, superne obscure tetragoni.

Folia petiolata, opposita, subpendentia, spithamaea, inferne pollices duos lata, opposito minore, extrorsum leviter dentato-subrepanda, basin versus acumineque integerrima; tenella subtus in costa & nervis leviter pulverulenta, trinervia, absque nervo marginali, venosa: nervi venaeque subtus coloratiores.

Petioli compressiusculi, glabri, laxi.

Racemus terminalis, palmaris & ultra, compositus, patens. *Pedunculus communis* tetragonus: *partiales* compressi, oculo armato subpulverulenti, oppositi, sursum sensim breviores minusque compositi, demum simplices. *Pedicelli* triflori, flore intermedio sessili. *Flores* majusculi, calyptrati: *calyptra* ovata, acuta.

Calyx campanulatus, viridi flavescens, truncatus, striatus, glaber.

Petala quinque, obovata, purpurea: *ungues* longitudine calycis.

Stamina. *Filamenta* decem, longitudine petalorum. *Antherae* curvatae, dorso purpurascentes.

Stylus corolla longior, fusco-purpurascens. *Stigma* obtusum, flavescens.

Ad Mel. elongatam valde accedit, gaudet vero habitu diverso, foliis firmioribus, viridiflavescentibus nec lacte viridibus, pendentibus nec patentibus, minus evidenter dentatis, petiolis recurvis non vero rectis, racemis magis compositis floribusque parum majoribus. Numne vero haec omnia speciem distinctam indicent vel si aliae

adsint notae speciem distinguentes, certius determinare queunt autoptae. Cum genus Melastomatis detectis novissimis in tantam molem excreverit, difficile est characteres specierum tradere, dum tam multiplex sit earum convenientia, quamvis intuitu diversae videantur.

Melastoma procera SWARTZII flor. Ind. occid. pag. 764, mihi ignota, affinis quoque videtur. Quantum vero e descriptione optimi viri videre liceat, illa a mea differt caule arboreo quadraginta- vel quinquaginta-pedali, foliis junioribus subtus ferrugineis, nervis scabris, petiolis ferrugineis, floribus magnis.

MELASTOMA VIRESCENS, foliis subovato-lanceolatis denticulatis glabris laevibus, spicis terminalibus racemosis bipartitis, floribus secundis.

Habitat in insula Trinitatis. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, virescentes, glabri, dichotomi: superne compressiusculi, pulverulento-subvillosi, crassitie fili emporetici.

FOLIA petiolata, opposita, patentissima, bi-tripollicaria, vix pollicem lata, utrinque glabra, laevia, trinervia praeter nervos marginales, simpliciter denticulata, basi integerrima: dentibus juniorum seta parva terminatis; tenella utrinque pulverulenta, adultiora tantum subtus in nervis.

RACEMI terminales, erecti, sesquipollicares: *pedunculi partiales* oppositi, patentissimi, uti pedunculus communis ferrugineo-pulverulenti, bipartiti. *Flores* unica serie secundi, sessiles.

CALYX subcampanulatus, quinquedentatus, ope lentis pulverulentus.

Petala quinque, oblonga.

STAMINA decem, corolla longiora. *Antherae* lineares, curvatae, basi latere altero auriculo brevi fusco auctae, albidae.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* obtusum, flavescens.

BACCA globosa, magnitudine Sinapis.

Decandrae, triplinerviae.

MELASTOMA PENDULIFOLIA, foliis elliptico-lanceolatis glabris extrorsum dentato-subrepandis, racemis terminalibus subdecompositis, pedicellis trifloris.

Hab.

Melastoma parviflora, *foliis ovato-oblongis*, *glabris*, *denticulatis*, *floribus paniculatis terminatricibus*, *fructu parvo coeruleo*. Aubl. fl. Guian. I. pag. 433. tab. 171.

Melastoma pendulifolia. Act. soc. h. nat. paris. p. 109.

In Cajenne legit *von Rohr*. ♄

Rami obtuse tetragoni, glaberrimi, laeves, viridi-flavescentes vel subpurpurascentes, apice interdum cinereo-pulverulenti.

Folia petiolata, opposita, spithamaea, opposito saepe minore, sursum sensim breviora, viridi-flavescentia, utrinque glaberrima, laevia, triplinervia, nervi subtus uti petioli pallide purpurascentes non tamen villosi: transversales remoti; obsolete venosa, attenuata, extrorsum remote dentato-subrepanda.

Petioli pollicares. Rudimenta foliacea, minuta, incana, in axillis petiolorum superne.

Racemus terminalis, subdecompositus, erectus, sexpollicaris, patentissimus. *Pedunculus communis* inferne tetragonus. *Partiales* alternatim compressi, sensim sursum, ut in plurimis aliis speciebus generis, breviores & minus compositi. *Pedicelli* ultimi gemini, triflori, cum flore sessili in divi.ura. *Flores* parvi. *Bracteae* minutae.

Calyx cinereus, striatus, quinquedentatus.

Petala quinque, oblonga.

Stamina decem, corolla longiora. *Antherae* albidae, dorso purpurascentes.

MELASTOMA brunnea, foliis ovalibus ciliatis, supra scabris, subtus incanis, floribus infrafoliaceis aggregatis subpedunculatis strigosis.

Habitat in Guiana. *von Rohr*. ♄

Rami bifidi, inferne teretes, cortice cinereo; superne, uti ramuli, petioli, nervi foliorum utrinque, pedunculi, calyces & petala extus strigis rufescentibus adspersi. *Ramuli* tetragoni, longi, inferne cicatricati, superne floriferi.

Folia opposita, petiolata, quadri- vel quinquepollicaria, pollices tres fere lata, utrinque acuta, integerrima, setis flavescentibus brevibus remotisque ciliata, triplinervia praeter nervos duos e basi folii ortos, supra rufescente viridia, scabra e mucronibus parvis flavescentibus oculo armato videndis; subtus tomentosa: tomento incano-rufescente; uti supra adspersa mucronibus, tamen non scabra, nervi & venae exstantes, venae pilis flavescentibus minutis tectae.

Petioli vix pollicares, triquetri

Pedunculi parum supra cicatriculam petioli decidui, brevissimi, aggregati, utrinque tres vel quatuor, indivisi. *Bracteae* parvae, ovatae, deciduae.

Calyx oblongus, unguicularis, extus strigis rufescentibus totus tectus: *Laciniae* quinque, ovatae, obtusae.

Corolla: *Petala* quinque, subrotunda, longitudine laciniarum calycis.

Stamina decem, longitudine corollae. *Antherae* oblongae, acuminatae, rufescentes.

Stylus rare villosus, superne parum incrassatus. *Stigma* obtusum.

Affinis Mel. succosae Aubletii.

Decandrae, quinquenerviae.

MELASTOMA spicata, ferrugineo-hirta, foliis ovato-lanceolatis muricatis duplicato-crenatis, spicis axillaribus terminalibusque simplicibus.

Melastoma spicata, foliis ovato-oblongis, acuminatis, pilosis, floribus carneis, spicatis. Aubl. flor. Guian. 1. pag. 423. tab. 165.

Cajennae legit *von Rohr.* ♄

Tota planta e pilis longis frequentissimis ferrugineis hirta.

Rami teretiusculi, subdichotomi, apice compressiusculi.

Folia petiolata, opposita, attenuata, acuta, ciliata, tripollicaria vel minora: supra inter nervos transversales adspersa tuberculis copiosis, quibus insident pili in disco flavescentes versus marginem inque junioribus rufo-ferruginei; subtus punctis impressis; adultiora quinquenervia (praeter nervos marginales); juniora trinervia.

Petioli subpollicares.

Spicae axillares, solitariae, absque spica in axilla opposita, simplicissimae, raro basi utrinque ramulo. *Flores* inferiores breviter pedicellati: *pedicellis* interdum bi- vel trifloris; superiores sessiles; terminales plerumque terni. *Bracteae* ad basin singuli floris, lanceolata, patens, brevis.

Calyx subgloboso-oblongus, magnitudine seminis Coriandri: *Laciniae* quinque, parvae, ovatae, attenuatae.

Petala quinque, oblonga, obtusa, calyce parum majora.

Stamina decem, longitudine corollae. *Antherae* subulatae, basi integrae, albescentes, dorso purpureae.

Stigma obtusum

MELA-

MELASTOMA CRENATA. Eclogae Amer. fascic. primi pag. 41.

Melastoma pauciflora: pilosa, foliis ovatis, subacuminatis, crenulatis, quinquenerviis, racemulis axillaribus terminalibusque paucifloris. LA MARCK. Dict. Enc. Vol. 4. pag. 39. fide herb. La Marckii.

Specimina perfectiora hujus Speciei in Insula St. Christophori legit RYAN mecumque communicavit, unde video, folia superiora trinervia, inferiora autem quinquenervia esse, hinc rectius inter Melast. foliis quinquenerviis collocanda erit. Sic quoque in descriptione corrigendum est: Baccae maturae ovatae, Piperi nigro duplo majores.

Caulis herbaceus, bi-tripedalis. Corolla alba. Fructus coeruleus. Habitat quoque in paludosis Puertorico. LE DRU comes itineris Baudini ad ins. Caribaeas, qui plantas quam plurimas observationesque varias mecum amicissime communicavit.

MELASTOMA EXPANSA, foliis oblongo-ovatis attenuatis setaceo-denticulatis glabris, racemo composito pulverulento, pedicellis dichotomis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI terctiusculi, inferne glabri, superne, uti petioli, nervi foliorum subtus & racemus pulvere ferrugineo leviter tomentosi.

FOLIA petiolata, opposita, quadri-quinquepollicaria, oblongo-ovata, attenuata, acuta, basi obtusa, denticulata: dentibus lente visis seta terminatis; basi integerrima, quinquenervia, supra obscure venosa, subtus venis tenuissimis exstantibus.

Petiolus vix pollicaris.

RACEMUS terminalis, erectus, quinquepollicaris: *Pedunculi partiales* oppositi, patentissimi, duo inferiores insequentibus triplo- vel quadruplo longiores magisque compositi: *Pedicellis ultimis* inferioribus bis bifidis, exterioribus bifidis, cum flore sessili in dichotomia.

CALYX campanulatus, obscure striatus, quinquedentatus.

Petala quinque, lineari-oblonga, obtusa.

STAMINA. *Filamenta* decem, corolla longiora. *Antherae* pallide flavae, dorso fuscae.

Stigma obtusum.

A Melastomate striato differt: foliis angustioribus quinquenerviis, floribus minoribus, pedicellis inferioribus in pedunculis partialibus bis bifidis nec omnibus semel bifidis.

An Mel. pyramidalis. La Marck. Encycl. 4. pag. 53.

MELASTOMA ALATA, foliis elliptico-lanceolatis sessilibus integerrimis subtus incanis, ramis alatis, panicula terminali brachiata.

Melastoma alata, floribus racemosis, foliis ovato-oblongis, subtus tomentosis, incanis, subsessilibus. AUBL. fl. Guian. 1. p. 410. tab. 158.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

RAMI tetragoni, e membrana decurrente ferruginea quadri-alati, cinereo-tomentosi.

FOLIA tri- ad octopollicaria, opposito minore, sessilia, attenuata, basi revoluta, quinquenervia: nervi quatuor supra basin orti, duo superiores; venosa, rugosa; supra glabriora, oculo armato villis rarioribus adspersa, margine uti juniora villosiora, costa cinerea; subtus villoso-canescentia, nervis griseo-purpurascentibus; *tenella* tomentoso-ferruginea.

PANICULA terminalis, brachiata, palmaris. *Pedunculus communis* inferne & inter infimos ramos tetragono-alatus. *Rami* oppositi, tetragoni, remoti, adscendentes, sensim breviores: *ramuli* trichotomi, ultimi triflori, flore intermedio sessili. *Bracteae* ad ramificationes paniculae, lineares, parvae. *Flores* parvi, copiosi.

CALYX quinquedentatus, uti pedunculi, pedicelli bracteaeque sordide cinereus.

COROLLA. *Petala* quinque, oblonga, unicum reliquis parum latius.

STAMINA. *Filamenta* decem, corolla dimidio longiora. *Antherae* albae, dorso linea purpurea.

Stylus capillaris, longitudine staminum.

Rhexiae speceis secundum Richard.

MELASTOMA IMPETIOLARIS, foliis oblongis acuminatis denticulatis subsessilibus, subtus racemisque axillaribus subdecompositis ferrugineo pulverulentis.

Grossularia plantaginis folio amplissimo. Plum. Catal. pl. Amer. pag. 18. fide herb. Surian.

Melastoma impetiolaris, foliis denticulatis subsessilibus oblongis acuminatis coriaceis subtus tomentoso-ferrugineis, paniculis terminalibus axillaribusque erectis. Sw. prodr. pag. 70.

Melastoma macrophylla: foliis elliptico acutis, sessilibus, triplinerviis, subintegerrimis, postici ferrugineis; paniculis terminalibus. LA MARCK. Dict. Enc. Vol. 4. pag. 44. fide herb. La Marck.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

RAMI

Rami tetragoni, superne crassitie pennae scriptoriae: juniores compressi, altero latere convexiores, altero planiores, uti pedunculi & calyces pulvere denso ferrugineo-tomentosi, scabriusculi.

Folia sessilia, remota, pedalia, sex vel octo pollices lata, basi cordata, inferne versus parum angustata, apice acuminata, denticulata, quinquenervia praeter nervos marginales: nervi supra ad basin saepe tomentosi; supra aetate nitida, glabra, exsiccatione nigra; juniora utrinque tomentosa.

Pedunculi axillares, spithamaei, alternatim compressi, erecti: *Partiales* oppositi, patentissimi, distantes, infimi iterum ramosi, superiores sensim breviores & minus divisi. *Bracteae* sub ramificationibus, subulatae. *Flores* parvi, sessiles, copiosi, per intervalla glomerato-subverticillati.

Calyx globosus: ore coarctato, truncato.

Petala parva, oblonga.

Bacca magnitudine Piperis nigri, sulcata.

MELASTOMA compressa, foliis oblongis integerrimis subtus incanis nervis ramis petiolisque ferrugineis, racemis verticillatis, pedicellis umbellatis.

Melastoma dodecandra: foliis ovatis quinquenerviis integerrimis, subtus tomentosis; paniculae ramis lateralibus subfasciculatis. La Marck Dict. Encyclop. Tom. 4. p. 46. fide herb. La Marck.

Habitat in Caribaeis; incolis bois quarré dicta. *von Rohr.* ħ

Rami ferrugineo tomentosi, superne compressi.

Folia petiolata, opposita, quinque- vel sexpollicaria, oblonga, utrinque acuta, quinquenervia, supra glaberrima, subtus incana, nervis venisque ferrugineo pulverulentis.

Petiolus angulatus, ferrugineus, saepe supra pilis ferrugineis hirtus.

Pedunculi terminales, gemini cum ramo ulterius excrescente pedunculisque multoties longiore, compressi, griseo tomentosi: *Partiales* quinque in singulo pedunculo, umbellati, apice dilatati, structura & colore pedunculi communis, triflori. *Flores* omnes pedicellati, ante explicationem obovati, inclusi *bractea* diphylla, oblonga, ad basin calycis inserta, decidua, cinereo-pulverulenta.

Calyx ovalis, flavescens, glaber: *Limbo* plano, subintegro.

Petala quinque, lanceolata.

STAMINA decem, raro duodecim.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* peltatum.

BACCA magnitudine pisi, flavescens, glabra.

In specimine a Rohrio misso inflorescentiam inveni, uti eam supra descripsi & in aere incudi curavi. Ad manus vero dein pervenit exemplar aliud, in omnibus conveniens nisi quoad modum florendi, in hoc enim:

RACEMUS terminalis, solitarius, erectus: *Pedunculi* verticillati: in verticillis duobus inferioribus quatuor, quorum duo tenuiores, breviores, triflori, duo longiores robustiores, apice pedunculis quinis, trifloris; in tribus superioribus quatuor, singulis trifloris.

Cum hoc specimen perfectius credo, differentiam specificam inde desumsi.

Accedit ad Melast. Tamoneam Swartzii, differt vero, quod specimen a viro amicissimo missum docet, ramis rufo-ferrugineis, foliis subtus albidioribus, pedunculis partialibus verticillatis, calycibus glabris, petiolis non furfuraceis; folia quoque in mea multoties latiora sunt quam in Fothergilla mirabili, quae secundum citationem eadem est ac Tamonea Aubletii.

MELASTOMA BRACHIATA, foliis ellipticis attenuatis denticulatis glabris nervis subtus pulverulentis, spicis bipartitis racemosis secundis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

FRUTEX sex- vel septem pedalis. *Rami* laeves, inferne teretes, glabri, superne leviter pulverulenti. *Ramulus* ad basin pedunculorum simplex; ulterius excrescens compressus, apice uti folia tenella ferrugineo pulverulentus, racemo longior.

FOLIA petiolata, opposita, sex vel octo pollicaria, opposito ut in variis speciebus generis minore, oblongo-ovata, interdum elliptico-lanceolata, denticulata, basin versus subintegerrima, attenuata, quinquenervia praeter nervos marginales, supra glaberrima: nervi & venae majores subtus leviter ferrugineo-pulverulenti; venosa, subreticulata.

Petioli triquetri, supra canaliculati, ferruginei.

RACEMI primum terminales, at ramo laterali demum excrescente axillares. *Pedunculi universales* ut plurimum gemini, interdum unicus robustior, quinquepollicaris, inferne tetragonus, erectus; reliqui quadruplo breviores, compressi, tripartiti, apice in singulo ramo spica bipartita; omnes uti pedunculi partiales, pedicelli & calyces pulverulenti.

verulenti. *Pedunculi partiales* compressi, patentes, distantes, inferiores oppositi: infimi bi-tripollicares, primum trifidi, apice bipartiti; reliqui semipollicares, apice tantum bipartiti. *Flores* in ramis ultimis pedunculorum sessiles in spicam bipartitam divaricatam, secundi, quinque in singulo ramulo cum flore sessili in dichotomia, parvi.

Bracteae oppositae, setaceae.

CALYX superne striatus: *fructiferus* globosus, sulcatus, magnitudine Piperis nigri.

Petala obovata, parva.

STAMINA decem.

Octandrae, trinerviae.

MELASTOMA ANGUSTIFOLIA, foliis lineari-lanceolatis integerrimis subtus incanis, ramis virgatis, paniculis terminalibus, floribus erectis. Sw. prodr. pag. 71.

In Montserrat legit *Ryan.* ♄

RAMI inferne teretes, cortice fusco-cinerascente, glabri, punctis rarioribus elevatis adspersi, apicem versus alternatim compressi, pulverulento-cinereo-tomentosi.

FOLIA petiolata, opposita, inferne remotiora superne magis approximata, bi- sive tripollicaria, attenuata, acuta, basi obtusa, integerrima, supra glabra, laevia, longitudinaliter trilineata, secundum nervos transversos obsolete lineata: nervi transversi subtus frequentes, parum exstantes.

Petioli vix unguiculares, cinerascentes.

PANICULA terminalis, erecta. *Pedunculi* compressi, tomentoti: *partiales* inferiores bis- vel ter dichotomi; superiores minus compositi. *Flores* parvi, omnes pedicellati.

Petala obovata, flava.

STAMINA corolla parum longiora.

BACCA magnitudine seminis Coriandri, globosa, margine calycis persistente quadrilobo coronata.

MELASTOMA CORYMBOSA, foliis ovatis acuminatis integerrimis ramisque glabris, paniculis terminalibus trichotomis.

Habitat in Martinica. *von Rohr.* ♄

RAMI uti reliquae partes glabri, cortice pallido, articulati, superne obscure tetragoni.

Folia petiolata, opposita, ovata vel elliptico-ovata, quadri-quinquepollicaria, acuminata; acumine sesquipollicari, trinervia praeter nervos marginales, utrinque glaberrima: subtus pallide viridia, nervis venisque exstantibus.

Petioli pollicares & ultra, subtus carinati.

Pedunculi terminales, terni: intermedius robustior & sub prima ramificatione utrinque folium lineare, pollicare: *rami* di-trichotomi, fastigiati, compressiusculi, apice dilatati.

Calyx subglobosus, magnitudine fere Piperis nigri, margine persistente, quadrilobo: *lobis* rotundatis.

Petala quatuor, oblonga, obtusa, vix unguicularia.

Stamina octo, longitudine corollae. *Antherae* lineares.

Stylus corolla parum brevior. *Stigma* obtusum.

A Melast. coccinea, cui affinis, differt: tota glabra, praesertim autem pedunculis pedicellisque aequalibus nec nodosis.

MELASTOMA nigricans, foliis elliptico-ovatis integerrimis glabris, ramis triquetris incanis, paniculae terminalis pedunculis trichotomis.

Melastoma trichotoma: laeviuscula foliis lato-ovalibus, acuminatis, triplinerviis, integerrimis; paniculis trichotomis amplis, terminalibus. La Marck. Dict. Encycl. Tom. 4. p. 53. fide herb. La Marck.

Habitat in Martinica. *von Rohr.* ♄

Rami superne compresso-triquetri, e pulvere subtilissimo grisco-rufescente tomentosi.

Folia petiolata, opposita, lato-oblonga, acuminata, integerrima, laevia, utrinque glaberrima, supra exsiccatione nigra, subtus pallida, trinervia praeter nervos marginales: in adultioribus nervi transversi remoti; spithamaea, uti in quam plurimis speciebus generis opposito duplo minore.

Petioli pollicares & ultra, supra canaliculati, subtus convexi, rufescente-tomentosi.

Panicula terminalis, spithamaea; *pedunculus* uti *pedicelli* e pulvere subtilissimo denso rufescente-tomentosi, alternatim compressi. *Pedunculi partiales* remoti, oppositi, patentissimi, sursum sensim breviores, inferiores quater circiter trichotomi, superiores sensim minus compositi, ultimi triflori; floribus lateralibus sessilibus, intermedio pedicellato. *Bracteae* minutae sub floribus. *Flores* minuti.

CALYX turbinatus, obsolete quadrilobus.

COROLLA: *Petala* quatuor, oblonga.

STAMINA: *Filamenta* octo, corolla longiora. *Antherae* fuscae, apice albidae.

Octandrae, triplinerviae.

MELASTOMA ELAEAGNOIDES, foliis lanceolatis subtus albido-tomentosis integerrimis, pedunculis terminalibus ternis trifloris.

Melastoma elaeagnoides, foliis triplinerviis integris lato-lanceolatis subtus albido-tomentosis, pedunculis terminalibus ternis flabellatis, floribus solitariis. Sw. prodr. pag. 72.

Ex insula St. Crucis, Montserrat & St. Johan. *Ryan.* ♄

RAMI sparsi, saepe oppositi, inferne teretes, rufescentes, punctis cinereis adspersi, superne albido-pulverulento-tomentosi, apicem versus rufescente-tomentosi, compressi.

FOLIA petiolata, bipollicaria, acuta, supra nuda, longitudinaliter trilineata, transversim secundum nervos obsolete lineata, subtus albida, nervis transversis exstantibus.

PEDUNCULI terminales, terni: intermedius interdum utrinque superne pedunculo auctus; singuli trilflori. *Flores* breviter pedicellati: *pedicellus* intermedius reliquis parum longior.

CALYX oblongus, medio coarctatus, superne dilatatus margine subundulato, integerrimo.

Petala petalis parum altiores, flavae, dorso fuscae.

Stylus staminibus longior.

BACCA globosa, magnitudine pisi, coronata, lineis quinque inscultis subquinquelocularis, glabra.

Octandrae, quinquenerviae.

MELASTOMA UMBROSA, foliis ovato-cordatis acuminatis denticulatis subtus hispidis, ramulis floriferis, racemis dichotomis patentibus.

Melastoma umbrosa: foliis quinquenerviis denticulatis lato-ovatis acuminatis utrinque hirtis; ramulis floriferis, racemis dichotomis patentibus; ramis petiolisque hirsutis. Sw. prodr. pag. 72.

Melastoma latifolia: pilosa foliis lato-ovatis, acuminatis, ciliatis, paniculis axillaribus subgeminatis folio brevioribus. La Marck Encycl. Vol. 4. p. 31.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ħ

Rami uti petioli & pedunculi hispidi, superne aeque ac petioli pallide ferrugineo-tomentosi.

Folia maxima, saepe bipedalia, sesquipedem lata, subtilissime dentata, ciliata, parum attenuata, quinquenervia praeter nervos marginales, superiora juniora trinervia: supra pilis brevibus adspersa, nervis griseo-villosis; subtus hispida.

Racemi axillares, solitarii, oppositi. *Pedunculi* ultimi triflori. *Flores* omnes pedicellati. *Bracteae* parva utrinque ad basin pedunculorum partialium & pedicellorum, spathulata.

Bacca magnitudine seminis Coriandri, hispida.

MELASTOMA crinita, foliis ovalibus oblongisve denticulatis utrinque hispidis, pedunculis infrafoliaceis trifidis: pedicellis trifloris.

Habitat in montibus insulae Martinicae. ħ

Rami teretes, remote cicatricati, inferne glabri aphylli, superne pilis albidis hispidi.

Folia ad apices ramorum, conferta, breviter petiolata, tripollicaria, pollices duos lata, rigida, quinquenervia: adultiora e pilis albidis utrinque hispida, juniora pilis flavescentibus tota tecta; bullata, subtus venis exstantibus reticulata, denticulata.

Petioli supra plani.

Pedunculi infrafoliacei, solitarii, pollicares & parum ultra, filiformes, fusco-purpurascentes, e pilis purpureis inferne hispidi, subangulati. *Pedicelli* plerumque terminales, terni, duo interdum inferiores oppositi, singuli triflori. *Flores* pedicellati. *Bracteae* oppositae ad basin pedunculorum partialium subspathulatae, mucrone aristatae; sub flore lineares, in aristam desinentes.

Calyx: *tubus* brevis, tetragonus, angulis acutiusculis basi gibbis: *laciniae* quatuor, lato-ovatae, infra apicem aristatae.

Corolla: *petala* quatuor, subrotunda, sessilia, calyce triplo longiora.

Stamina: *filamenta* octo, longitudine corollae.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* obtusum.

STYRAX.

STYRAX GLABRUM, foliis elliptico-ovatis utrinque glabris, racemis axillaribus, floribus secundis nutantibus.

Styrax glabrum, foliis oblongis subserratis utrinque glabris, pedunculis axillaribus simplicibus confertis multifloris, floribus nutantibus. SWARTZ. prodrom. pag. 74.

In Montserrat legit *Ryan.* ħ

RAMI glabri, cinerascentes, subangulati, apice compressi, inferne cicatricati.

FOLIA petiolata, sparsa, quadri- vel quinquepollicaria, elliptico-ovata vel oblonga, acuminata, interdum obtusissima, utrinque glabra, subtus subargentea, integerrima, interdum versus apicem obscure repanda.

Petioli pollicares, supra canaliculati.

RACEMI axillares, patentissimi, simplicissimi, solitarii, tri- ad octoflori, saepe bipollicares, interdum brevissimi, ut flores vel congesti in pedunculo brevi appareant, vel pedunculi plures uniflori aggregati in axillis foliorum. *Pedunculus communis*, uti pedicelli angulati, subargentei: *pedicelli* unguiculares, apicemversus crassiores. *Bractea* parva, linearis, ad basin singuli pedicelli, interdum alia in ipso pedicello supra basin. *Flores* fere pollicares, extus uti calyces argentei.

CALYX truncatus, obscure quinquedentatus, persistens.

COROLLA quinquepartita: *laciniae* lineari-lanceolatae, superne patentes.

STAMINA: *Filamenta* decem, basi pilosa, alterna breviora. *Antherae* erectae, lineares.

PISTILLUM: *Germen* hemisphaericum. *Stylus* longitudine staminum. *Stigma* obtusum, subquadrilobum.

DRUPA basi calyce persistente vestita, oblonga, mucronata, glabra, magnitudine Pruni spinosae, exsucca. *Putamen* osseum, fragile, uniloculare.

SEMEN unicum, oblongum.

ALBUMEN semini conforme, carnosum, album.

EMBRYO compressus, inversus, niveus. *Cotyledones* ovatae, foliaceae. *Radicula* cylindrica, supera.

PSIDIUM.

PSIDIUM AROMATICUM, foliis lanceolato-oblongis acuminatis glabris, pedunculis infrafoliaceis unifloris, baccis quadrilocularibus.

Psidium aromaticum: foliis ovatis, acuminatis, fructu dulci, cerasiforme. AUBL. fl. Gu. 1. p. 485. tab. 191.

In Cajenna & insula Trinitatis legit *von Rohr.* ♄

RAMI cortice cinereo, glabri, cicatricati, inferne teretes, supernè compressi, ad articulos dilatati: *ramuli* oppositi, foliosi, purpurascentes.

FOLIA petiolata, opposita, subtripollicaria, parum attenuata, acuta, basi obtusa, integerrima, utrinque glabra, tenera, venosa, subreticulata, supra secundum nervos & venas lineata, subtus pallidiora.

PEDUNCULI *floriferi* ad cicatrices ramorum, utrinque gemini vel tres, cum rudimento ramuli, post florescentiam ulterius excrescentes, basi utrinque squamula minuta, uniflori, filiformes, semipollicares: *fructiferi* ad ramulorum basin infrafoliacei, oppositi, solitarii, floriferis triplo longiores, basin versus utrinque foliolum lanceolatum, unguiculare. *Bracteae* duae, versus summitatem pedunculi floriferi, lineares, deciduae.

CALYX extus oculo armato villosus: *laciniae* quinque persistentes, intus tomentosae, incanae.

COROLLA parum minor quam Crat. Oxyacanthae.

BACCA globosa, glabra, magnitudine fructus Oxyacanthae.

MIMOSA.

Foliis simpliciter pinnatis. Inermes.

MIMOSA UMBELLIFERA, foliolis bijugis lanceolatis, glandula inter singula, petiolis marginatis, umbellis axillaribus pedunculatis.

Habitat in America meridionali. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, glabri, fusco-cinerascentes.

FOLIA pinnata: *pinnae* bijugae, brevissime petiolatae, utrinque glabrae, venosae, supra nitidiusculae, attenuatae, extimae subtripollicares, intimae minores.

PETIOLUS marginatus, articulatus. *Glandula* cava, orbiculata, sessilis, inter pinnulas. *Stipulae* subulatae.

PEDUN-

Pedunculi axillares, solitarii, pollicares. *Bractea* minuta, superne & ad singulum pedicellum. *Pedicelli* circiter viginti quatuor, filiformes, unguiculares.

Calyx brevissimus, quinquedentatus.

Corolla, uti Calyx glabra, unguicularis, quinquedentata.

Stamina plura, monadelpha.

MIMOSA LUCIDA, foliolis bijugis lanceolato-ellipticis nitidis, petiolis marginatis glandulosis, spicis axillaribus oblongis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis.

Rami teretes, glabri, cortice fusco cinereo punctato.

Folia petiolata, pinnata. *Foliola* bijuga, subpetiolata, opposita, extima quadri- vel sexpollicaria, interiora bi- sive tripollicaria, lanceolato-elliptica, basi obtusa, altero margine vix breviora, apice acuminata, acuta, mucronata, integerrima; adultiora utrinque glabra, nitida; juniora supra & ad marginem pilis raris adspersa, versus basin copiosioribus; omnia subtus viridi-flavescentia.

Petiolus subtus convexus, pilis rarioribus utrinque, praesertim basi adspersus, marginatus, biarticulatus: *articulis* cuneiformibus: exterior interiori triplo longior: interior basin versus aequalis, crassus, fuscus. *Petioli partiales* brevissimi, fusci, crassiusculi.

Stipula utrinque, lineari-lanceolata, vix unguicularis, extus villosa, substriata.

Pedunculi axillares, solitarii, longitudine petioli, striati, angulati, villis rarissimis subpilosi. *Flores* in spicam oblongam conferti, patentiusculi, circiter viginti quatuor, semipollicares. *Bractea* setacea, calyce dimidio brevior, ad basin singuli floris.

Calyx tubulosus, corolla dimidio brevior, striatus, glabriusculus, tri- vel quadridentatus: *dentibus* ovatis acutis.

Corolla extus aureo-villosa, intus glabra: *laciniae* quinque, ovatae, acutae.

Stamina corolla triplo longiora.

MIMOSA ALBA, foliolis trijugis oblongis acuminatis inaequalibus, petiolis subaequalibus glandulosis, spicis axillaribus geminis oblongis.

Mimosa alba; inermis foliis pinnatis trijugis, pinnis aequalibus ovatis acuminatis, petiolo submarginato. Swartz. prodr. pag. 85.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis.

Rami inferne teretes, glabri, cortice fusco cinereo punctato, superne angulati, apice uti ramuli ferrugineo-tomentosi. *Ramuli* axillares, pollicares vel ultra, inferiores floriferi.

Folia petiolata, quadri- vel quinquepollicaria, pinnata. *Foliola* trijuga, subpetiolata, extima tripollicaria, interiora sensim minora, elliptico-ovata vel oblonga, parum acuminata, basi acuta, integerrima, utrinque glabra, nitidiuscula, venosa, subtus pallidiora.

Petioli subtus convexi, sursum versus ad singulum par foliolorum parum latiores, non tamen alati, leviter tomentosi. *Glandula* sessilis, cava, inter singulum par foliolorum.

Stipulae caducae.

Pedunculi axillares, plerumque gemini, rarissime terni, unguiculares, pubescentes.

Spicae oblongae, longitudine pedunculi. *Flores* circiter viginti, conferti.

Calyx subtomentosus, quinquedentatus: *dentibus* obtusis.

Corolla glabra, semiunguicularis: *tubus* striato-subangulatus.

Stamina numerosa, monadelpha: columna staminum corolla duplo longior, purpurea.

Foliola interiora certe sensim minora evadunt & petiolus tam parum marginatus, ut potius aequalis dici mereatur, attamen specie a Mimosa alba Swartzii non differre persuasus sum.

MIMOSA virgultosa, foliis subquadrijugis: foliolis lanceolatis glabris, petiolis marginatis, umbellis axillaribus pedunculatis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Fruticulus inermis. *Rami* teretes, tenues, fusci, subpunctati, inferne glabri, apice ferrugineo-subtomentosi.

Folia petiolata, frequentia, sesquipollicaria, inferiora minora, pinnata, quadri- sive quinquejuga. *Foliola* sessilia, unguicularia, interiora sensim minora, facie fere Myrti boetici, lanceolata, obtusa, mucronata, utrinque glabra, nitidiuscula, latere interiori baseos subobliqua & parum angustiora.

Petioli subtus convexi, e margine tenui decurrente subalati, articulati, canaliculati, villosi. *Glandula* minuta, cava, inter singulum par pinnarum.

Stipulae setaceae, deciduae.

PEDUNCULI axillares, vix unguiculares, filiformes, pubescentes. *Pedicelli* umbellati, circiter duodecim, capillares, pedunculo communi duplo longiores, uniflori.

CALYX minutus, glaber, quinquedentatus.

COROLLA semiunguicularis, tubulosa, sursum versus sensim ampliata, glabra, striata, quinquedentata.

STAMINA. *Filamenta* quatuordecim vel sedecim, monadelpha: columna staminum corolla longior.

Foliis bigeminis.

MIMOSA ROSEA, foliolis lanceolatis, capitulis racemosis, pedicellis geminatis, spinis stipularibus geminis.

β. subinermis, foliolis oblongis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

FRUTEX. *Rami* inferne teretes, superne angulati, glabri, e punctis numerosissimis cinereo fuscoque striati.

FOLIA petiolata, bigemina. *Foliola* breviter petiolata, bipollicaria, altero parum breviore & angustiore, lanceolata, obtusiuscula, mucrone minuto terminata, latere interiore angustiora & basi parum breviora, utrinque glabra, venosa, lacte viridia.

Petioli communes pollicares: *secundarii* semiunguiculares; omnes filiformes, glabri, subtus convexi, supra canaliculati, mucrone rigido terminati: *partiales* brevissimi. *Glandula* sessilis, parva, cava, in apice petiolorum communium & secundariorum.

Spina utrinque ad latus petioli communis, semiunguicularis, erecto patens, fusca.

RACEMI axillares & terminales, quinque vel sexpollicares, erecto-patentes. *Pedunculi* striato-angulati, flavescentes, apice vix villosi: *pedicelli* plerumque gemini, raro inferne terni, filiformes, sesquipollicares, sursum versus sensim nimbres, vix villosi. *Bractea* subulata, semiunguicularis, incurva, ad basin pedicellorum. *Flores* septem vel novem, spicato-capitati, unguiculares, oculo armato tenuissime tomentosi.

CALYX brevis.

STAMINA numerosa, monadelpha: columna staminum corolla duplo longior.

Convenit β. modo crescendi, inflorescentia & floribus; differt vero foliis obtusioribus, longioribus & triplo latioribus, subtus oculo armato villosis, spinis brevissimis, pedunculis apice villosioribus, hinc primo intuitu specie differre videtur. VON ROHR autem, qui eas in loco natali observavit, contendit quod modo varietates sint.

MIMOSA MACROSTACHYS, foliolis lanceolato-oblongis, spicis axillaribus elongatis solitariis, spinis stipularibus geminis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

RAMI teretes, substriati, glabri, cortice fusco, punctis minutis albidis numerosis adspersi.

FOLIA petiolata, bigemina. *Foliola* subpetiolata, bi-sive tripollicaria, oblongo-lanceolata, latere interiore angustiora, obtusa cum mucrone brevi, basi acuta, utrinque venosa, glabra.

Petioli communes & secundarii vix pollicares, subtus convexi, supra canaliculati, basi tumidi & parum crassiores; *universalis* mucrone, subulato, diplo dusculo terminatus; *partiales* brevissimi, fusci. *Glandula* sessilis, cava, ad apices petiolorum communium & secundariorum.

Spina utrinque ad latus petioli communis, brevis, recta.

PEDUNCULI subspithamaei, axillares, solitarii, patentissimi, glabri, striati, angulati, post casum florum denticulati. *Flores* spicati copiosi, unguiculares, sparsi, distincti. *Bractea* minuta, rigida, ad basin singuli floris.

CALYX parvus, quinquedentatus, uti corolla extus tenuiter tomentosus, canescens, intus glaber.

COROLLAE *laciniae* ovatae.

STAMINA numerosa, monadelpha.

Foliis conjugatis. Inermes.

MIMOSA LIGUSTRINA, foliolis bijugis: pinnulis lanceolatis interioribus minoribus, petiolis linearibus glandulosis.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr.* ♄

Inermis.

RAMI glabri, teretes, cortice cinereo punctato subrimoso.

FOLIA petiolata, conjugata. *Foliola* bijuga: *pinnulae* sessiles, lanceolatae, attenuatae, obtusiusculae, venosae, laeves, supra nitidae, utrinque glaberrimae: intimae pollicares, aequilateres; extimae bipollicares, latere interiori angustiores.

Petioli subtus convexi, supra canaliculati: *communis* unguicularis; *partiales* sesquipollicares. *Glandula* cava, sessilis, in apice petioli communis & inter singulum par pinnularum.

Stipulae caducae.

SPICAE

Spicae in ramis aphyllis, oppositae, utrinque geminae, pollicares. *Pedunculi* filiformes, purpurascentes, glabri, post casum florum e bracteis minutis patentibus dentati.

Calyx tubulosus, glaber, quinquedentatus.

Corolla vix semiunguicularis, quinquedentata.

Accedit ad Mimosam Bourgoni Aubletii, differt foliis conjugatis nec simpliciter pinnatis.

Foliis conjugatis. Spinosae.

MIMOSA salinarum, foliolis pinnatis: pinnis multijugis, spinis stipularibus solitariis, spicis elongatis.

Habitat ad salinas Jamaicae. *v. m. Kohr.* ♄

Rami teretes, glabri, cortice griseo-fusco, rigidi, a gemma ad gemmam subflexuosi.

Gemmae plerumque solitariae, interdum geminae, aetate semiunguiculares, stipulis minutis aciculatibus rigidiusculis innocuis imbricatae, post casum foliorum inter stipulas cicatricatae.

Folia ex apice gemmae, duo quatuor vel quinque, petiolata, conjugata. *Foliola* divaricata, pinnata: *pinnulae* novemdecim vel vigintijugae, lineares, obtusae, glabrae, aveniae, subunguiculares, interiores & exteriores minores.

Petiolus universalis pollicaris, teres: *partialis* subtripollicaris, filiformis, triqueter, uti universalis mucrone terminatus. *Glandula* cava, sessilis, parva, in apice petioli universalis & ad singulum par pinnarum ad alterum latus petioli nec in ipso sulco.

Spina unica, rarissime duae ad latera axillae gemmaceae, patens, recta, rigida, semiunguicularis.

Spicae ex eadem gemma ac folia, solitariae, bipollicares, pedunculatae. *Flores* conferti, parvi.

Calyx brevis, glaber.

Corolla quinquepartita: *laciniae* lincari-lanceolatae, extus glabrae, intus apice villosae.

Stamina decem.

Germen hirsutum, cinereum.

Foliis bipinnatis. Inermes.

MIMOSA caudata, foliolis bi-trijugis: pinnulis sex vel octojugis extimis majoribus, petiolis eglandulosis, spicis racemosis geminatis.

Mimosa LOEFLING. it. pag. 223. β. ex mente Rohrii.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis.

RAMI teretes, glabri, cinerascentes, flexuosi.

FOLIA petiolata, bipinnata. *Foliola* bi-sive trijuga: *pinnulae* foliolorum interiorum sexjugae, extimorum septem- vel octojugae, sessiles, lineari-oblongae, obtusissimae, subemarginatae, utrinque glaberrimae, venosae, supra nitidae, subtus parum pallidiores, latere interiori angustiores & basi obliquae, latere exteriori basi rotundatae; extimae sesquipollicares, interiores sensim minores, rarissime par ultimum vel penultimum magnitudine intimorum.

Petioli supra canaliculati, subtus convexi, glabri: *communes* subspithamaei: *partiales* extimi palmares, intimi breviores. *Glandulae* nullae.

Stipulae caducae.

RACEMUS terminalis, compositus e spicis copiosis, spithamaeus. *Spicae* geminatae, approximatae, quadripollicares, erecto-patentes: *tuberculum* parvum, muticum ad basin pedunculorum partialium. *Flores* numerosissimi, parvi, glaberrimi.

CALYX brevis, obscure quinquedentatus.

COROLLA: *Petala* quinque, linearia, obtusa, cava, patentia.

STAMINA decem.

MIMOSA TRAPEZIFOLIA, foliolis subbijugis: pinnulis subquadrijugis glabris obovato-trapeziis, floribus racemoso-capitatis.

Habitat in insula Trinitatis. *Ryan.* ♄

Inermis.

ARBOR grandis. *Rami* alterni, teretes, extrorsum angulati, cortice griseo, apice villis flavescentibus subtomentosi.

FOLIA petiolata, bipinnata. *Foliola* bijuga, rarius trijuga; extima tripollicaria; intima breviora: *pinnulae* foliolorum extimorum quadri- vel quinquejugae, intimorum bisive trijugae, subsessiles, ultimae obovatae, pollicares, extus gibbae, interiores sensim minores, trapeziformes, latere interiori rectae sursum angustiores & inferne latiores obliquae, latere exteriori interne angustiores & sursum gibbae latiores, obtusae, basi acutae, glabrae: juniores subtus e villis minutis sericeae, tenellae aureo-tomentosae.

Petioli

Petioli glabri, supra canaliculati: *partiales* exteriores petiolo universali longiores, interiores breviores. *Glandula* sessilis, cava, inter par foliolorum interius, uti & inter duo vel tria extima pinnularum paria foliolorum exteriorum & inter omnes pinnulas foliolorum interiorum, ad latus petiolorum nec in eorum sulco.

Stipulae caducae.

Pedunculi axillares, plerumque gemini, erecti, tripollicares, folio breviores, sulcati, aureo subtomentosi. *Flores* conferti in capitulum oblongum, unguiculares, subpedicellati, circiter viginti, parvi.

Calyx campanulatus, quinquefidus: *laciniis* ovatis, acutis, uti corolla extus leviter aureo-tomentosis.

Corolla campanulata, calyce duplo longior, quinquefida: *laciniis* lanceolatis, acutis.

Stamina. *Filamenta* circiter triginta, monadelpha, corolla sextuplo longiora.

Pistillum. *Germen* lineare. *Stylus* capillaris, longitudine staminum.

Legumen compressum, quadripollicare, latitudine unguis, spiraliter involutum, glabrum, margine exteriore repandum, dodecaspermum.

MIMOSA nigricans, foliolis quadrijugis: pinnulis decemjugis, glandula inter foliola, spicis axillaribus solitariis longitudine foliorum.

Habitat in America meridionali, incolis amouret-wood. *von Rohr.* ħ

Inermis.

Arbor vigintipedalis. *Rami* teretes, flexuosi, rigidi, inferne glabri, fusci, superne tenuissime flavido tomentosi.

Folia petiolata, bipinnata. *Foliola* quadrijuga opposita: *pinnulae* decem vel undecimjugae, oppositae, semiunguiculares: par intimum & extimum minora; subtrapeziformes, utrinque rotundatae, altero latere angustiores, aveniae, enerviae, utrinque glabrae, excepta costa villoso-flavescente: tenella aureo-tomentosa.

Petioli supra subcanaliculati, subtus convexi, bipollicares, flavescenti-subtomentosi.

Glandula orbicularis, sessilis, inter singulum par foliolorum.

Stipulae caducae, minutae.

Spicae pedunculatae, solitariae. *Flores* copiosi, sparsi.

Exsiccatione nigra evadit.

MIMOSA CHRYSANTHA, foliolis octojugis: pinnulis multijugis, petiolis eglandulosis, capitulis oblongis pedunculatis quaternis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis.

RAMI fusco-purpurascentes, flexuosi, glabri, inferne teretes, superne impunctati, striato-subangulati.

FOLIA petiolata, distantia, patentia, sex vel septempollicaria, bipinnata. *Foliola* opposita, tripollicaria, octojuga: *pinnulae* viginti vel vigintitrijugae, semiunguiculares, foliolorum interiorum pauciores & breviores, lineari-oblongae, obtusae, glaberrimae, subtus pallidae.

Petioli eglandulosi, fusco-purpurascentes, supra subcanaliculati, subtus convexi, apicem versus compressi, mucrone subulato terminati: *partiales* filiformes, basi fusci.

Stipulae lineares, vix unguiculares, deciduae.

PEDUNCULI axillares, plerumque quatuor, superne interdum tres, unguiculares, filiformes.

Flores in capitulo oblongo, circiter viginti, breviter pedicellati, conferti, parvi, glabri.

STAMINA numerosa, aurea.

MIMOSA GLANDULOSA, foliolis suboctojugis: pinnulis septemdecimjugis glabris, glandula inter singula paria, spicis axillaribus solitariis elongatis.

Habitat in Cajenna. *von Rohr.* ♄

Inermis.

RAMI teretiusculi, *cortice* cinereo.

FOLIA petiolata, gemina vel terna saepe ex eodem puncto, tri- vel quadripollicaria, bipinnata. *Foliola* quinque vel octojuga, opposita, interiora breviora, pinnulis pauciioribus: *pinnulae* septemdecimjugae, oppositae, lineares, sessiles, semiunguiculares, acutae, latere altero angustissimae, glabrae.

Petioli subtus convexi, supra plani: *partiales* plani, mucrone terminati. *Glandula* sessilis, cava, inter singulum par foliolorum.

Stipulae deciduae.

SPICAE axillares, solitariae, folio longiores, erectae. *Pedunculi* angulati glabri. *Flores* copiosi, distincti, sparsi, parvi, glabri.

CALYCES campanulati, quinquedentati.

COROLLA calyce dimidio longior, profunde quinquefida: *laciniae* lineari-lanceolatae.

STAMINA numerosa, monadelpha.

MIMOSA GUIANENSIS, foliolis pinnulisque subnovemjugis subtrapeziformibus, petiolis basi glandulosis, spicis axillaribus geminis teretibus.

Mimosa guianensis: arborescens, inermis, floribus spicatis albis, legumine compresso. AUBL. flora Guianens. pag. 938. tab. 357.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

Inermis.

RAMI teretes, glabri, fusci, punctis pallidis rarioribus adspersi.

FOLIA petiolata, pedalia. *Foliola* septem ad decemjuga, plerumque opposita, interdum alterna, palmaria, interiora breviora. *Pinnulae* novem vel decemjugae, foliolorum interiorum pauciores, petiolatae, alternae, unguiculares, oblongo-trapezoideae, basi subtransversae, latere interiore inferne latiores & superne angustiores, latere exteriore inferne angustiores & superne latiores, apice rotundatae: terminales obovatae; omnes utrinque glabrae, supra nitidae, obscure venosae, subtus pallidae, in specimine exsiccato supra nigrae, subtus subferrugineae.

Petioli communes validi, inferne teretes, glabri, extrorsum angulati, villosiusculi, sordide cinerascentes: *partiales* compressi. *Glandula* baseos petioli communis, oblonga, marginata, coeterum nullae nec inter foliola vel inter pinnulas.

Stipulae deciduae.

SPICAE axillares, geminae, palmares, teretes, pedunculatae. *Pedunculi* pollicares, vix villosi, inter flores tomentosi, sordide canescentes. *Flores* copiosissimi, conferti, parvi.

STAMINA decem, corolla longiora.

Foliis bipinnatis. Aculeatae.

MIMOSA PANICULATA, foliolis octojugis: pinnulis numerosissimis linearibus, paniculis glabris petiolisque subtus aculeatis.

Mimosa paniculata. WEST Beskriv. over St. Croix pag. 312.

Habitat in insula St. Crucis. *West.* ♄

Rami teretes, glabri, cortice cinereo, uti petioli & pedunculi aculeati: *aculei* sparsi, recurvi, purpurascentes.

Folia petiolata, bipinnata, palmaria vel ultra, glabra. *Foliola* octojuga, opposita, bipollicaria, intus versus sensim minora: *pinnulae* foliolorum exteriorum viginti septemjugae; interiorum quindecim- vel sedecimjugae, lineares, acutae, altero latere angustiores, intus basi rotundatae, vix semiunguiculares.

Petioli universales purpurascentes, apice in setam desinentes, basi incrassati, supra canaliculati; subtus aculeis paucis, sparsis, remotis. *Glandula* orbicularis, sessilis, ver... basin petioli & inter duo paria extima foliolorum; nulla in petiolis partialibus.

Panicula terminalis & ex axillis ultimis, diffusa. *Rami* flexuosi, inferne aculeati, superne uti ramuli inermes, glabri, linea longitudinali exarati, subangulati; *folium* bipinnatum, pollicare, ad basin ramorum inferiorum paniculae cum stipula lineari membranacea decidua. *Pedicelli* duo, quatuor vel quinque ex eodem puncto, unguiculares, inaequales, simplices, interdum ramosi, pubescentes.

Capitula globosa, magnitudine capitulorum mimosae farnesianae.

Diversa a Mimosa pennata Linnaei ramis, petiolis paniculisque glabris, nec tomentosis; pinnulis foliolorum majoribus; petiolis subtus aculeatis; glandulis petiolorum; ramis paniculae ramosis, nec subsimplicibus. Facile crederem hanc esse Linnaei Mimosam tenuifoliam Spec. plant. edit. 1. pag. 523. ob maximam similitudinem cum Mimosa pennata, quare forte a Linnaeo in secunda editione specierum cum illa, uti varietas, conjungitur, nec quoque abludit differentia specifica & brevis descriptio Mimosae tenuifoliae Linnaei loco citato specierum plantarum editionis primae; specie autem esse diversam non dubito.

MIMOSA TAMARINDIFOLIA, ramis tetragonis, stipulis cordatis, spicis oblongis pedunculatis: axillaribus geminis: terminalibus subpaniculatis.

Acacia aculeata, flore albo, foliis tamarindi. Plum. spec. 17. Ic. tab. 7.

Mimosa tamarindifolia: aculeata, foliis bipinnatis quinquejugis, partialibus subdecemjugis, petiolis communibus inermibus. Lin. Syst. Veget.

In Cajenna legit *von Rohr.* ♄

Rami tetragoni: angulis obtusiusculis; purpurei, glabri, aculeati: *aculei* sparsi, recti, flavescentes, glabri.

Folia

Folia petiolata, bipinnata. *Foliola* opposita, tripollicaria, intus versus sensim minora, quinque- vel sejuga: *pinnulae* oppositae, sedecim- vel octodecimjugae, brevissime petiolatae, vix unguiculares, interiores minores, lineari-oblongae, obtusae, altero latere angustiores, utrinque glabrae.

Petiolus communis inermis, teretiusculus: *secundarii* filiformes. *Glandula* sessilis, in foliis inferioribus versus basin petioli, in superioribus inter par infimum foliolorum, oblonga. *Setae* duae, foliaceae, oppositae, in petiolis secundariis infra pinnulas.

Stipula utrinque, cordata, unguicularis, lata, membranacea, acuta, glabra.

Pedunculi axillares, gemini, folio dimidio breviores, bipollicares: superiores subpaniculati. *Bractea* cordata, acuta, membranacea, in medio pedunculi, decidua. *Flores* plures in spica oblonga, unguiculari, glabra, obtusa: *bracteola* ovata, parva, caduca, ad singulum florem.

RUDOLPHIA.

RUDOLPHIA VOLUBILIS. Wilden. Sp. Plant. Tom. 3. pag. 918.

Habitat in Puerto-Rico. *West.* ♄

Caulis fruticosus, teres, volubilis, ramosus, cortice fusco-cinerascente, adspersus punctis numerosis elevatis. *Rami* structura caulis, alterni, remotissimi: *tenelli* laeves, retrorsum pilosi.

Folia petiolata, remota, simplicia, cordata, integerrima, acuminata: acumine brevi obtuso, rigida, venosa, secundum venas supra lineata, utrinque glabra, tri- vel quadripollicaria.

Petioli teretes, glabri, striati, longitudine foliorum, basi apiceque articulati: articulis parum crassioribus, fuscis, villosis, setae duae ad basin articuli superioris.

Stipula utrinque, setacea, vix semiunguicularis, decidua.

Racemi axillares, solitarii, saepe duo tres vel quatuor, *tenelli* e bracteis setaceis imbricati: *adulti* elongati, spithamaei. *Pedunculi* teretes, rigidi, a basi ad apicem alterne frequenter tuberculati. *Pedicelli* duo vel tres in singulo tuberculo, unguiculares. *Bractea* ovata, acuminata, rubra, sub singulo tuberculo & duae ad basin singuli floris, parvae, deciduae.

Calyx tubulosus, inferne subcarnosus, superne compressus, pollicaris, coloratus, junior villosus, aetate glaber, bilabiatus: *labium superius* compressum, subbifidum, inferiore

feriore tri- vel quadruplo latius: *laciniis* rotundatis; *infrius* trifidum: *laciniis* lateralibus lanceolatis, labio superiore brevioribus, intermedia conduplicata, labio superiore longiore, apice incurva, acuta.

Corolla pentapetala, papilionacea. *Vexillum* calyce dimidio longius, conduplicatum, emarginatum, striatum, unguiculatum: *unguis* calyce duplo brevior. *Alae* lineares, subfalcatae, inferne angustatae, superne tortae, ungue vexilli vix longiores. *Carina* diphylla, structura & longitudine alarum.

Stamina. *Filamenta* decem, recta, longitudine vexilli, novem in unum corpus connata, superne distincta: decimum liberum. *Antherae* oblongae.

Pistillum. *Germen* conicum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum.

Recedit sic a genere Erythrinae: calyce bilabiato, inferne absque poro mellifero; alis calyce & vexillo multo brevioribus; filamentis novem fere usque ad summitatem connatis, decimo omnino libero; germine sessili.

A Piscidia: calyce; brevitate alarum carinaeque; filamento decimo libero.

SIPARUNA.

CHARACTER ESSENTIALIS. Flores masculi & foeminei in eadem umbella.

Mas. Calyx quadrifidus. Corolla nulla. Stamina quatuor ad decem.

Foemina. Calyx inaequaliter quadrifidus: *laciniis* conniventibus. Corolla nulla. *Germen* superum. *Stylus* brevis. *Stigmata* célo.

SIPARUNA guianensis. Aublet. flor. Guian. pag. 864. tab. 333.

Habitat in Guiana. *von Rohr.* ♄

Rami teretes, glabri; superne compressiusculi, pubescentes, sordide subferruginei.

Folia opposita, petiolata, patentissima, quadripollicaria, elliptica, acuminata, integerrima, *tenella* utrinque sordide cinereo-tomentosa, *juniora* supra pilis raris stellatis oculo armato videndis adspersa, *adulta* glabra, nervosa, subtus obscure venosa.

Petiolus semiunguicularis.

Pedunculi axillares, utrinque gemini, reflexi, uti calyces e pilis stellati, sordide cinereo-tomentosi, longitudine petioli.

Flores *masculi* circiter quinque vel sex, in apice pedunculi, subsessiles.

Foeminei in eadem umbella, solitarii, parum longius pedicellati. *Stylus* calyce longior.

Fructus mihi ignotus.

Ex

Ex observatione Rohrii floribus foemineis est:

CALYX monophyllus, obovatus, inaequaliter quadrifidus: *laciniis* conniventibus.

COROLLA nulla.

STAMINA nulla.

PISTILLUM. *Germen* superum. *Stylus* cylindraceus, brevis. *Stigmata* octo, acuta, reflexa, marcescentia.

PERICARPIUM calyce connivente involutum.

PLUKENETIA.

PLUKENETIA VOLUBILIS, foliis cordatis serratis, racemis elongatis.

Plukenetia scandens, hederae foliis serratis, fructu laevigato. PLUM. gener. pag. 47. Ic. 226.

Plukenetia volubilis. LIN. spec. plant. ed. 1762. pag. 1423.

PLUKENETIA INTEGRIFOLIA, foliis cordato-oblongis integerrimis, racemis brevissimis.

In Demerari legit *von Rohr.*

CAULIS volubilis. *Rami* alterni, teretes, striati, glabri: *ramuli* laeves, pubescentes.

FOLIA petiolata, alterna, inferiora septempollicaria, superiora tertiam minora, cordato-oblonga, acuminata: acumine acuto; juniora obscure remote denticulata, adultiora integerrima, membranacea, venosa, tri- vel quinquenervia, utrinque glabra.

Petioli teretes, pubescentes, pollicares, superiores breviores.

RACEMI ex axillis superioribus vel supraaxillares, solitarii, petiolis parum longiores.

FLORES *foemini* ad basin pedunculi, solitarii, longius pedicellati: *masculi* copiosi, brevissime pedicellati, conferti, minutissimi.

PISTILLUM ut in Plukenetia volubili.

CAPSULA depressa, quadrangularis: angulis obtusis, bituberculatis: quadriocularis: *loculis* monospermis.

DALECHAMPIA.

DALECHAMPIA HETEROPHYLLA, foliis subtus villoso-subtomentosis denticulatis cordatis indivisis trifidisque, stipulis subulatis, involucris subtridentatis.

In Cajenna legit *von Rohr*.

CAULIS volubilis, teres, striatus, e villis minutis sordide cinereo-subtomentosus. *Ramuli* axillares, folio parum breviores.

FOLIA petiolata, alterna, remota, bi- tri- vel quadripollicaria, cordata, indivisa vel profunde trifida: *lobi* laterales semicordati, intermedio oblongo basin versus parum angustato; omnia denticulata, acuta, quinquenervia, venosa, minime rugosa, supra glabriuscula venis cinereo-villosis, subtus villosiora, mollia.

Petioli folio dimidio breviores, teretes, sordide cinerascentes. *Stipulae* parvae, subulatae, deciduae ad singulum latus petioli: duae spuriae setaceae superne in apice petioli.

PEDUNCULI ex apice ramulorum, solitarii, breves, extrorsum parum crassiores, teretes, flavescenti-griseo tomentosi, apice nutantes.

INVOLUCRUM *exterius* tetraphyllum: *foliolis* subsetaceis, brevissimis; *interius* diphyllum, maximum: *foliolis* ovato-cordatis, sesquipollicaribus, utrinque flavescenti-griseo tomentosis, septem- vel novemnerviis, apice tridentatis, coeterum integerrimis.

DALECHAMPIA MOLLIS, foliis trifidis denticulatis subtus villosis, involucris oblongis subtrifidis coloratis villosis, stipulis subulatis.

Habitat ad St. Martham. *von Rohr*.

CAULIS volubilis. *Rami* cinereo subtomentosi: *ramuli* axillares, folio parum breviores.

FOLIA petiolata, basi cordata, tripollicaria, quinquenervia, venosa, minime rugosa, profunde trifida, praesertim adultiora: *lobi* oblongi, obtusi, obsolete denticulati, aetate supra fere nudi, subtus molliter villoso-subtomentosi, intermedio parum longiore.

Petioli griseo-tomentosi, pollicares. *Stipulae* subulatae, parvae, deciduae, duae spuriae baseos folii ad insertionem petioli.

Pedunculi terminales ramulorum, solitarii, sub flore parum crassiores, tomentosi.

INVOLUCRUM *exterius* tetraphyllum: *foliolis* subsetaceis, brevissimis; *interius* maximum: *foliolis* lato-oblongis, pollicaribus, coloratis, utrinque villoso-subtomentosis, septemnerviis, subtrifidis: *laciniis* ovatis, intermedia parum majore, coeterum integerrimis.

FLORES *foeminei* terni, intra idem involucrum commune. *Involucella* triphylla, oblonga, apice subtriloba, glabra, ciliata, purpurascentia.

Stylus & *Stigma* ut in Dalechampia scandente.

CAPSULA pilis albis copiosissimis tecta.

DALECHAMPIA SCANDENS, foliis trifidis serratis, involucris cordatis trifidis hirtis, stipulis semicordatis.

Dalechampia scandens: foliis trifidis serratis. LIN. Syst. Veget. pag. 862.

ZANTHOXYLUM.

ZANTHOXYLUM SIMPLICIFOLIUM, foliis simplicibus.

Caribaea. SCHREB. Gen. pag. 199. Bibl. 508.

Habitat in Montserrat, incolis yellow Wood dictum. *Sym.* ħ

ARBOR saepe trigintapedalis. *Rami* inermes, cortice fusco, cinereo punctati, teretes, glabri.

FOLIA superne in ramis & ramulis, petiolata, alterna, bi- sive tripollicaria, ovata, vel oblongo-ovata, interdum parum acuminata, utrinque glabra, membranacea, vasculoso-subreticulata, perforata, supra lucida.

Petioli pollicares, purpureo-fusci, glabri, impunctati, supra canaliculati e margine tenui decurrente.

MAS.

RACEMUS supradecompositus, terminalis, palmaris. *Pedunculi partiales* alterni. *Pedicelli* inferiores sparsi, ultimi umbellati. *Flores* parvi. *Bractea* minuta ad basin pedicellorum.

CALYX minutus, quinquefidus.

COROLLA: *Petala* quinque, calyce triplo longiora, ovato-lanceolata.

STAMINA. *Filamenta* quinque, corolla parum longiora. *Antherae* subrotundae.

PISTILLUM: rudimenta germinis duo vel tria, conica, superne attenuata, divergentia.

Stigma nullum.

FOEMINA.

RACEMUS compositus, terminalis ramorum & ramulorum.

Calyx in mare.

Corolla: *Petala* parum coloratiora, lincaria.

Stamina nulla.

Germen obovatum. *Stylus* nullus. *Stigma* sessile, planiusculum.

ZANTHOXYLUM TERNATUM, foliis ternatis pinnatisque: foliolis oblongis nitidis crenulatis emarginatis, floribus triandris.

Zanthoxylum ternatum, inerme, foliis ternatis, foliolis obovatis subemarginatis, nitidis, subtus punctatis. SWARTZ. Flor. ind. occid. Tom. I. pag. 570.

Habitat in Montserrat: *Ryan.* In insula St. Crucis; *West.* ♄

Frutex septem- vel octopedalis.

Junior: Truncus armatus aculeis frequentibus, sparsis, acicularibus, rectis, vix unguicularibus, flavescentibus, nitidis.

Folia omnia pinnata cum impari, plerumque sexjuga: *foliola* exteriora pollicaria, interiora minora, oblonga, opposita, parum acuminata, crenata, subtus punctata. *Petiolus* purpurascens, supra canaliculatus, margine utrinque ad singulum par foliolorum aculeo recto.

Adultior: Rami teretes, inermes, glabri, alterni, cortice cinereo fuscente.

Folia petiolata, sparsa, plerumque ternata, saepe quinato-pinnata, rarius bijuga absque impari, rarissime geminata in eodem ramo, interdum in diversis. *Foliola* petiolata, opposita, pollicaria vel bipollicaria, oblonga vel subelliptica, basi acuta: lateralia saepe altero latere baseos parum breviora & obliqua: apice obtusa cum acumine minuto flavescente, saepe emarginata, crenulata, utrinque glaberrima, subtilissime venosa, supra nitida impunctata, subtus parum pallidiora, adspersa punctis minutis fuscis, luci obversa perforata.

Petiolus communis inermis, pollicaris, glaber: *partiales* breves, uti communis supra canaliculati.

Pedunculi axillares, brevissimi, quinque vel septemflori.

Mas.

Calyx minimus, trifidus.

Corolla tetrapetala: *petala* ovata, acuta, erectiuscula.

Stamina: *filamenta* tria, corolla longiora.

Pistil-

PISTILLUM: rudimentum *germinis* absque *stylo* & *stigmate*.

FOEMINEA.

CALYX & COROLLA ut in mare.

STAMINA nulla.

PISTILLUM. *Germen* receptaculo parum elevato insidens, didymum. *Stylus* corolla parum longior, utrinque linea exaratus. *Stigma* obtusum.

CAPSULAE duae, rugosae, nigrae, semiglobosae, magnitudine seminis Coriandri, altero latere linea elevata parum carinatae: *tunica interior* membranacea bivalvis. Semen globosum, nigrum.

Sequentia ex observatione *Rygnii* addo:

Melicna certe Hagarum inter & Zanthoxylum affinitas est.

Sed FLORES dioici, STYLI duo, CAPSULAE binae ex uno eodemque germine, ad Zanthoxylum potius hanc speciem amandandam esse suadent.

Fruticem & arborescentem inveni. *Stolones* multi e radicibus emittuntur, quorum simi, & quod singulare foliis pinnatis, ut & sunt plantae juniores.

ZANTHOXYLUM ALBUM, ramis petiolisque aculeatis, foliis subintegerrimis glabris ovalibus obtusis altero latere obliquis.

Habitat in Montserrat, incolis white prickle Wood dictum. *Rygn.* ♄

ARBOR dioica, materies alba. *Rami* cortice cinereo, glabri, apice flavescente-tomentosi, cicatricati, adspersi aculeis paucis, rectis.

FOLIA ad apices ramorum, petiolata, approximata, pinnata sine impari, quinque vel sexjuga: *Foliola* exteriora bipollicaria, interiora minora, sessilia, membranacea, interdum versus apicem obscure crenata, basi obtusa, altero latere baseos angustiora & obliqua, venosa, utrinque glabra: in arbore masculina alterna, duo ultima tantum opposita, obtusa: in foeminea opposita, acumine brevi terminata.

Petiolus saepe spithamaeus, supra sulco exaratus, villosus, in arbore masculina subtus aculeis sparsis flavescentibus paucis armatus, in foeminea inermis.

RACEMI compositi, parum infra folia & terminales, approximati, tri- vel quadripollicares, erecti, multiflori. *Pedunculi* pulverulenti. *Flores* parvi, subsessiles vel breviter pedicellati, per intervalla conferti.

MAS.

CALYX minimus, quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis.

COROL-

Corolla: *petala* quinque, ovata, subvillosa.

Stamina. *Filamenta* quinque, corolla longiora, infra receptaculum germinis inserta. *Antherae* oblongae.

Pistillum. Rudimenta quinque germinum, pyramidata, acuta, receptaculo hemisphaerico insidentia. *Stylus* nullus. *Stigma* nullum.

Foemina.

Calyx & Corolla ut in mare.

Stamina nulla.

Pistillum. *Germen* globosum, decemsulcatum, receptaculo hemisphaerico insidens. *Stylus* fere nullus. *Stigma* orbiculato-cavum.

Capsulae quinque, ovatae, extus linea elevata carinatae: *tunica interior* membranacea, bivalvis. *Semen* unicum, nigrum, nitidum, pedicello brevi insidens.

ZANTHOXYLUM flavum, foliis pinnatis inermibus: foliolis crenatis glabris subemarginatis, racemis terminalibus compositis.

Habitat in Montserrat, incolis yellow Sanders dictum; lignum anglis satin Wood dictum praebet haec Arbor. *Ryan.* Martinique legit *West.* $\mathfrak{h}_2$

Arbor viginti ad triginta pedes alta. *Rami* teretes, cortice cinereo, cicatricati, glabri, in specimine sicco longitudinaliter rugosi.

Folia ad apices ramorum, petiolata, approximata, pinnata cum impari, quadri- vel quinquejuga. *Foliola* opposita, subsessilia, bipollicaria, interiora minora, crenata, basin versus integerrima, punctis fulvis perforata, venosa, supra nitidiuscula, juniora utrinque villis stellatis adspersa, aetate glabra.

Petioli triquetri, villosi, supra plani, subtus convexi.

Racemi ex apice ramorum, plures, compositi, pedunculi pedicelliique cinereo-villosi. *Pedunculi* folio breviores, superne angulati: *partiales* sparsi, angulati, tri- sive quadriflori, unguiculares: *pedicelli* brevissimi conferti. *Flores* parvi.

Mas.

Calyx quinquepartitus, minimus: *laciniis* ovatis.

Corolla: *petala* quinque, calyce duplo longiora, extus uti calyx pubescentia.

Stamina quinque.

Foe-

Foemina.

Capsula magnitudine Piperis nigri. *Tunica interior* bivalvis, membranacea.

Semen nigrum, nitidum, laeve, corpusculo nigro in altera valvula tunicae interioris ad suturam interiorem insidens.

Drypetes.

CHARACTER ESSENTIALIS. Mas. Calyx tetraphyllus. Corolla nulla. Nectarium discus planus.

Foem. Calyx ut in mare. Corolla nulla. Stylus nullus. Stigma sessile. Drupa nuce uniloculari.

DRYPETES GLAUCA.

Habitat in Montserrat. *Ryan.* ♄

Arbor dioica. *Rami* teretes, superne angulati, cinerei, apice flavido tomentosi. Folia petiolata, alterna, distantia, tri- vel quadripollicaria, elliptica, parum acuminata, integerrima, vel remote obsolete crenata, membranacea, glaberrima, tenuissime venosa, glaucescentia, subtus pallidiora.

Petioli pollicares. *Stipulae* nullae.

Pedunculi axillares, aggregati, semiunguiculares, uniflori.

Mas.

Calyx tetraphyllus: *foliolis* ovatis, acutis, concavis.

Corolla nulla.

Nectarium discus planus.

Stamina: *filamenta* octo, longitudine calycis, sub nectario inserta. *Antherae* oblongae.

Pistillum nullum.

Foemina in distincta arbore.

Calyx ut in mare.

Corolla nulla.

Pistillum: *germen* superum, ovatum, incanum. *Stylus* nullus. *Stigma* sessile.

Pericarpium *Drupa: Nux* unilocularis, monosperma.

POLYPODIUM.

a. *Fronde indivisa.*

POLYPODIUM LINGUA, frondibus subsessilibus aggregatis lanceolato-oblongis obtusissimis, fructificationibus sparsis.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

RADIX fibrosa.

STIPITES nulli.

FRONDES plures ex apice radicis, digitales, sessiles, lanceolato-oblongae, obtusissimae, basi attenuatae, integerrimae, glabrae, nitidiusculae, venoso subreticulatae, maculis reticuli subrotundis, linea tenui apice punctata ad medium divisis.

Squamulae fructificationis nullae.

Affine Polyp. marginello Swartzii, diversum foliis multo latioribus in stipitem non desinentibus, fructificationibus sparsis.

Quod membrana fructificationem tegens vel involucri species in speciebus quibusdam desit & capsulae ex ipsa substantia frondis prodeant, notam aeque essentialem pro genere distinguendo ab iis ubi adest, ac nota illa desumta a modo quo aperitur involucrum, praebere videtur.

POLYPODIUM LATIFOLIUM, frondibus elliptico-lanceolatis, stipitibus costisque frondium paleaceis, fructificationibus sparsis.

Lingua cervina latifolia, pediculis squamosis. PLUM. filic. pag. 112. tab. 128.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

RADIX fibrosa; fibris subtomentosis.

STIPES quinquepollicaris, convexus, altero latere sulcatus, uti costa & nervi subtus, paleis nigricantibus copiosis adspersus.

FRONS elliptica, spithamaea vel parum ultra, pollices tres lata, acuminata, basi acuta, integerrima, supra glabra, transversim remote alternatim fusco-nervosa, luci obversa venoso-reticulata, venae obliquae inter nervos flexuosae.

PUNCTA FRUCTIFICANTIA duplici serie inter nervos disposita. *Squamulae* nullae. Punctum fuscum villosum post casum capsularum.

POLY-

POLYPODIUM ARTICULATUM, frondibus lanceolatis lucidis, fructificationibus sparsis, surculis repentibus hispidis, stipitibus articulatis.

Lingua cervina lucida, pedicellis articulatis. PLUM. filic. pag. 118. tab. 136.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

SURCULI repentes, crassitie pennae columbinae, undique tecti setis subulatis, copiosissimis, rufescentibus, patentibus.

STIPITES erecti, remoti, quinque- vel sexpollicares, glabri, substriati; inferne versus uniarticulati, geniculo nodoso.

FRONS pedalis, pollicem vel parum ultra lata, lanceolata, apice obtusa vel acuta, basi attenuata, per stipitem parum decurrens, marginata: margine tenui, parum inaequali, dilutius colorato; utrinque glabra, nitida, transversim subtilissime confertim nervoso-striata, nervi simplicissimi, raro bifidi.

PUNCTA FRUCTIFICANTIA parva, numerosa, sparsa. *Squamula* fructificationem tegente orbiculata, incisura laterali lineari.

b. *Fronde pinnata.*

POLYPODIUM SALICIFOLIUM, pinnis alternis subpetiolatis lanceolatis utrinque acutis integerrimis, fructificationibus serialibus.

Filix major in pinnas tantum divisa, oblongas angustasque, non crenatas. SLOAN. hist. jam. 1. pag. 84. tab. 40.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

Rachis angulata, glabra.

FRONS pedalis, pinnata. *Pinnae* duodecimjugae, inferiores petiolatae, superiores sessiles, omnes distinctae, quadripollicares, unguem latae, inferiores parum minores, terminalis parum longior & latior, apice attenuatae, basi acutae, integerrimae, utrinque glabrae, subtus pallidiores, subtilissime nervoso-striatae, venosae: venae fere ut in Polypodio reticulato.

FRUCTIFICATIONES seriales, parvae. *Squamula*, ut videtur, nulla.

POLYPODIUM RIVULARE, pinnis falcato-lanceolatis extrorsum serratis: basi superiore gibbis, fructificationibus solitariis, stipite villoso.

Lonchitis glabra minor. PLUM. filic. pag. 48. tab. 63. Amer. pag. 19. tab. 28.

Habi-

Habitat in montserrat. *Ryan.*

STIPES cum fronde saepe tripedalis, subtetragonus, crassitie culmi secalis, altero latere convexiusculus, altero sulco exaratus, ferrugineo-villosus.

FRONS pinnata: *pinnae* octoginta trijugae, sessiles, alternae, sesquipollicares, superiores & inferiores sensim minores unguem latae; infimae ovatae vel oblongae, obtusissimae; reliquae falcato-lanceolatae, acutiusculae; omnes apicem versus serratae, latere inferiore parum angustiores, basi rotundatae, superiore inferne lobulo auctae, basi truncatae, glabrae, subtus obscure nervoso-striatae; nervi oppositi, bifidi: ramulo altero fructificante, altero sterili.

FRUCTIFICATIONES utrinque versus marginem, serie simplici longitudinali dispositae, distinctae. *Squamula* fructificationes tegens orbiculata.

Sloanaei Lonchitis altissima &c. tab. 31. diversum Polypodium sistit a Plumierii huc allato & ad Polypod. exaltatum Lin. pertinet; differt Pol. exaltatum: pinnis majoribus magis distantibus, fructificationibus ad costam sparsis nec solitariis versus marginem.

Polypodium semicordatam Swartzii distinguitur fructificationibus quadriseriatis.

POLYPODIUM PUNCTULATUM, pinnis subpetiolatis lanceolatis serratis basi obliquis margine punctatis, fructificationibus solitariis.

Lingua cervina dentata, punctulis nigris notata. PLUM. filic. pag. 98. tab. 112.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

STIPES cum fronde quadri- vel quinquepedalis, semiteres, supra sulco exaratus, subviliosus.

FRONS pinnata: *pinnae* quinquaginta duo jugae, omnes distinctae, per paria remotae, subpetiolatae, intermediae quadri- vel quinquepollicares, superiores & inferiores sensim minores, supremae triangulares, reliquae lanceolatae, attenuatae, serrulatae, basi sursum obliquae, deorsum rotundatae, tenuissime nervoso-striatae: nervi alterni bifidi, singulo ramulo puncto nigricante terminato; alterni simplices, parum breviores, macula fructificante terminati; costa subtus villosa.

FRUCTIFICATIONES in simplici serie longitudinaliter versus marginem digestae. *Squamula* fructificationem tegens orbiculata, margine altero incisura lineari.

Cum figura citata e Plumierio optime convenit, nisi quod serraturae in Plumierii profundiores & majores.

A Polypodio semicordato Swartzii dignoscitur fructificationibus solitariis punctisque nigricantibus versus marginem, stipite glabro.

A Polypodio simili & dissimili pinnis subpetiolatis nec decurrentibus, aliisque notis.

POLY-

POLYPODIUM REPANDUM pinnis lanceolatis elongatis subrepandis; extimis tribus confluentibus distinctisve, fructificationibus sparsis.

Hemionitis maxima linguae cervinae affinis. PLUM. filic. pag. 124. tab. 145.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

STIPES cum fronde tri- vel quadripedalis, purpurascens, glaber, nitidus, laevis, altero latere sulco lato striato.

FRONS pinnata: *pinnae* tri- quadri- vel sexjugae, duae, quatuor vel sex inferiores, prouti numerus pinnarum, subpetiolatae, superiores per stipitem parum decurrentes, tres ultimae saepe confluentes raro distinctae: omnes fere pedales vel ultra, pollices duos latae, lanceolatae, subrepandae, valde attenuatae, glabrae, nervosae, nervi alterni, venoso-reticulatae: infimae duae basi utrinque, vel tantum latere inferiore auctae lacinia lanceolata acuta, vel breviori obtusa: terminalis reliquis duplo latior, basi subincisa, incisuris utrinque quatuor vel quinque.

PUNCTA FRUCTIFICANTIA magna, in serie utrinque prope nervum posita. *Squamula* fructificationes tegens orbiculata, cum incisura lineari ad alterum latus.

c. *Fronde subbipinnata.*

POLYPODIUM OPPOSITUM, pinnis suboppositis lanceolatis inferioribus remotis brevibus: lobulis oblongis integerrimis, stipite pubescente.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

STIPES cum fronde bipedalis, inferne glaber, superne pubescens, altero latere sulcatus.

FRONS subbipinnata. *Foliola* circiter quadragintajuga, sessilia, plerumque opposita, interdum superne alterna, distantia, intermedia quadripollicaria: superiora & inferiora sensim minora; infima remota, unguiculata vel minora, basi incisa; reliqua lanceolata, glabra, attenuata, pinnatifida: *lobuli* oblongi, latere inferiore arcuati, superiore recti, obtusi, integerrimi, versus apicem evanescentes, par intimum reliquis parum longius, nervis simpliciter ramosis.

PUNCTUM FRUCTIFICANS in apice singuli rami nervorum, distinctum. *Squamula* fructificationem tegens oblonga, incisura laterali lineari.

Lonchitidi pinnulis rotundis non dentatis Plum. fil. pag. 36. tab. 47. valde affine est, differt modo quod foliola inferiora in nostro non satis conveniant cum illis in Plumierii.

Ad Polypodium patens Swartzii accedit, at, uti video ex specimine a viro amicissimo mecum communicato, illud gaudet foliolis subtus pilosis, infimis longioribus nec brevissimis.

POLYPODIUM MUSCOSUM, frondibus inferne tri- superne subbipinnatifidis: pinnulis lanceolatis serratis acutis ciliatis, stipite piloso.

Filix bermudensis elegans ramosa, pinnis rarioribus profunde dentatis spelunca rupium innascens, cauliculis muscosa. PLUKN. alm. 155. tab. 244. fig. 2.

Habitat in Montserrat. *Ryan.*

STIPITES plures, infra frondem pedales & ultra, crassitie fili emporetici, altero latere striati, pilosi, basi & inter foliola e pilis longioribus mollibus patentissimis hirsuti.

FRONDES saepe pedales. *Foliola* tredecim- vel quatuordecimjuga, petiolata, suprema uti pinnae exteriores foliolorum decurrentia; infima duo opposita, pinnis quatuor infimis pinnatifidis, sequentia alterna, pinnata, suprema serrato-incisa: *pinnae* lanceolatae, utrinque acutae, serratae, serraturis inferioribus latere superiori profundioribus, omnibus integerrimis, pollicares, extrorsum sensim minores, alternae, tenerae, rare ciliatae, subtus in nervis adspersae pilis longis, solitariis, remotis; nervi simpliciter ramosi, ramuli alterni.

PUNCTA FRUCTIFICANTIA duplici serie in singula pinnula, distantia. *Squamulae* nullae.

Polypodium speluncae Indiae orientalis multum distat a descripto, synonymum Plukenetii huc potius pertinere credo quam ad illud.

I n d e x

plantarum, quas b. VAHLIUS in fasciculis tribus *Eclogarum americanarum*, & in Decadibus tribus *Iconum ad Eclogas* descripsit, adumbravit & aere excudi curavit.

	Fasc.	pag.	Ecl. tab.
Acacia aculeata, flore albo, foliis tamarindi. Plum.	III.	40.	
AEGIPHILA arborescens	I.	15.	10.
martinicensis	I.	14.	
villosa	I.	16.	
AMASONIA erecta	II.	51.	
punicea	II.	51.	20.
Arbor racemosa brasiliana, foliis malabathri. Breyn.	I.	42.	
ARISTIDA capillacea	II.	10.	
Aruba guianensis. Aubl.	III.	13.	
ASCIUM violaceum	II.	41.	20.
Basourinha v. Tupeicava. Piso	II.	48.	
BIGNONIA corymbifera	II.	45.	17.
elongata	II.	45.	16.
laurifolia	II.	44.	
			Ic. tab.
mollis	II.	46.	10.
serratifolia	II.	46.	
tenuisiliqua	II.	43.	
tomentosa. Act. s. h. n. Paris.	II.	46.	
villosa	II.	44.	
			Ecl. tab.
BILLARDIERIA paniculata	I.	13.	10.
cf. praefationem.			
BONNETIA palustris	II.	42.	
BUCIDA Buceras	I.	50.	
capitata	I.	50.	8.
varietas?	I.	51.	8.
BUMELIA nervosa	I.	28.	
Caapunga I. Piso	I.	32.	
Cameraria Tamaquarina. Aubl.	II.	22.	
CAPRARIA lanceolata	II.	47.	
CASEARIA macrophylla	II.	32.	
CASSIA hirsuta	III.	11.	
hispidula	III.	10.	
pallida	III.	12.	
triflora	III.	11.	
CATESBAEA parviflora	I.	12.	10.
parviflora. La Marck	I.	11.	
CEPHAELIS punicea	I.	19.	
tomentosa	I.	19.	

	Fasc.	pag.	Ecl. tab.
CESTRUM latifolium	I.	25.	10.
scandens	I.	24.	
Chrysophyllum cainito. Aubl.	I.	28.	
macrophyllum. La Marck	I.	28.	
CISSUS microcarpon	I.	16.	
rhombifolius	II.	10.	
Coa-ghiyryo. Marcgr. & Piso	I.	44.	
COMMELINA serrulata	II.	4.	
hexandra. Aubl.	I.	34.	
CONVOLVULUS acetosaefolius	I.	18.	
albiflorus. West.	II.	14.	
ciliatus	II.	13.	
cissoides	II.	15.	
ferrugineus	I.	17.	
incarnatus	II.	12.	
marinus, catharticus &c. Plum. am. tab. 105.	I.	18.	
nodiflorus	II.	14.	
nummularius	II.	13.	
ovalifolius	II.	16.	
ovalifolius. West	II.	14.	
pentaphyllos, folio glabro dentato, viticulis hirsutis. Plum.	II.	16.	
proliferus	I.	18.	
quinquefolius	II.	15.	
quinquefolius, glaber americanus. Pluck	II.	15.	
quinquepartitus	II.	14.	
ruber	II.	12.	
CORDIA calophylla	III.	5.	
dentata	III.	5.	22.
macrophylla	III.	4.	
reticulata	III.	5.	
CROTALARIA lotifolia	II.	54.	
latifolia. Linn.	II.	54.	
pubera	II.	55.	
trifolia fruticosa &c. Sloane tab. 176.	II.	54.	
CRYPTOSTOMUM coriaceum	III.	4.	
CUPANIA diphylla	III.	9.	
discolor	III.	9.	

	Fasc.	pag.	Ic. tab.
Curapa. Aubl. - -	III.	9.	
Curtisia. Schreber - -	III.	45.	
CYNANCHUM altissimum -	II.	23.	
denticulatum - -	II.	23.	8.
hirsutum - -	II.	24.	
pictum - -	II.	24.	
rostratum. Symb. bot. III. p. 45 - - - -			7.
CYPERUS aphyllus - -	II.	6.	
depauperatus -	III.	2.	
elegans - -	II.	7.	
elegans. Rottböll -	II.	6.	
panicula sparsa ferruginea compressa elegantissima. Sloane - -	II.	7.	
scopellatus - -	II.	7.	12.
viscosus - -	II.	6.	
DALECHAMPIA heterophylla -	III.	44.	
mollis - -	III.	44.	
scandens - -	III.	45.	
DRYPETES glauca - -	III.	49.	

	Ecl. tab.		
ECHITES nitida - -	II.	19.	13.
			Ic. tab.
paludosa - -	II.	19.	5.
subspicata - -	II.	18.	
tomentosa. Symb. bot. III. p. 44 - - - -			4.
Echi. Loefling - -	II.	26.	
ERYTHROXYLON macrocephalum	II.	33.	
rufum - -	II.	33.	
EUGENIA Patrisii - -	II.	35.	
tomentosa - -	II.	37.	
trinervia - -	II.	36.	19.
undulata - -	II.	36.	
Enonymus latifolius, racemosus, fructu pentagono atropurpureo. Plum. - -	I.	29.	
Filix major &c. Sloane t. 40.	III.	51.	
- *bermudiensis elegans ramosa &c.* Plukn. Alm. t. 244. f. 2. - -	III.	54.	
Fimbristylis hirtellum. Vahl -	III.	1.	
serrulatum. Vahl -	III.	1.	
FROELICHIA paniculata -	I.	13.	
vide praefationem.			
Frutex. Marcgr. hist. p. 78 -	I.	17.	
Fuchsia involucrata. Swartz -	I.	35.	
FUIRENA obtusiflora - -	II.	8.	
paniculata. La Marck -	II.	9.	
simplex - -	II.	8.	
umbellata - -	II.	9.	
GOMPHRENA vermicularis -	I.	32.	
Gramen cyperoides majus &c. Sloan. t. 76. f. 2 - -	I.	7.	

	Ecl. tab.		
Grossularia plantaginis folio ampl. Plum. - - -	III.	22.	
GUAREA glabra - -	III.	8.	
macrophylla -	III.	8.	
trichilioides -	III.	7.	
GUETTARDA coccinea. Aubl.	II.	27.	
crispiflora - -	I.	36.	6.
parviflora - -	II.	26.	
Hemionitis maxima, linguae cervinae affinis. Plum. -	III.	53.	
HYMENAEA Courbaril - -	II.	30.	
venosa - -	II.	31.	
Jacaranda arbor, polyphylla, maxime procera. Barrer. -	I.	33.	
JACQUINIA arborea - -	I.	26.	
armillaris - -	I.	26.	
- *venosa.* Swartz. -	III.	3.	
ISERTIA coccinea - -	II.	27.	
parviflora - -	II.	28.	15.
JUSSIAEA hirta - -	II.	31.	
linifolia - -	II.	32.	
JUSTICIA *armata.* Swartz. -	II.	1.	

	Ic. tab.		
imbricata - -	I.	1.	1.
microphylla - -	II.	1.	
pauciflora - -	I.	2.	
rubra - - -	II.	1.	
Ryani - - -	I.	1.	
KRAMERIA Ixina - -	III.	2.	
LAUGERIA coriacea - -	I.	26.	

	Ecl. tab.		
resinosa - -	I.	27.	10.
Lingua cervina, dentata, punctulis nigris notata. Plum. -	III.	52.	
- *latifolia, pediculis squamosis.* Plum. - -	III.	50.	
- *lucida, pedicellis articulatis.* Plum. - -	III.	51.	
Lonchitis glabra minor. Plum.	III.	51.	
- *altissima &c.* Sloane t. 31	III.	52.	
MABEA Taguari - -	II.	56.	
Mahurea palustris. Aubl. -	II.	42.	
MAMMEA americana - -	II.	40.	
humilis - -	II.	40.	20.
Manabea arborescens. Aubl. -	I.	15.	
villosa. Aubl. -	I.	16.	
MARCGRAFIA coriacea -	II.	39.	
umbellata - -	II.	39.	
- *scandens, fructu radiatim posito.* Plum. -	II.	39.	
Matourea pratensis. Aubl. -	II.	48.	
MELASTOMA acuminata -	I.	47.	7.
acuminata. La Mark	III.	16.	
alata - -	III.	22.	

	Ic. tab.		
angustifolia -	III.	25.	26.

	Ic. tab.	
aromatica - -	I. 41.	
bivalvis. Aubl. -	I. 38.	
brachiata - -	III. 24.	
brunnea - -	III. 19.	23.
calyptrata - -	I. 40.	
capitata - -	I. 45.	
ciliata. Act. s. h. n. Par.	I. 42.	
coccinea - -	I. 48.	16.
compressa - -	III. 23.	17.
cornifolia. La Marck	III. 15.	
corymbosa - -	III. 25.	
crenata - -	I. 41.	
	III. 21.	24.
crinita - -	III. 28.	
decussata - -	I. 42.	
dodecandra. La Marck	III. 23.	
elaeagnoides -	III. 27.	28.
elegans - -	I. 44.	
elongata - -	III. 16.	
expansa - -	III. 21.	
fasciculata. Swartz -	I. 47.	
fragilis - -	I. 44.	
furfuracea - -	III. 13.	22.
holosericea - -	I. 42.	
holosericea. Swartz -	I. 43.	
impetiolaris - -	III. 22.	25.
latifolia. La Marck -	III. 28.	
lateriflora - -	I. 48.	
lutescens - -	III. 17.	
macrophylla. La Marck	III. 22.	
nigricans - -	III. 26.	27.
ornata. Swartz -	I. 37.	
parviflora. Aubl. -	III. 19.	
pauciflora. La Marck	III. 21.	
pendulifolia - -	III. 18.	
physiphora - -	I. 45.	
picta - - -	III. 15.	
pilulifera - -	III. 15.	
pyramidalis. La Marck	III. 21.	
racemosa. Aubl. -	I. 42.	
sessiliflora - -	I. 49.	18.
spicata - -	III. 20.	
striata - -	III. 14.	
thyrsoidea - -	III. 13.	
trichotoma. La Marck	III. 26.	
triflora - -	I. 46.	
trivalvis. Aubl. -	I. 39.	
umbrosa - -	III. 27.	29.
verticillata - -	I. 47.	
virescens - -	III. 18.	
Melia Guara. Jacqu. Cav. -	III. 7.	
Mimosa alba - -	III. 31.	
caudata - -	III. 35.	
chrysantha - -	III. 38.	
glandulosa - -	III. 38.	
guianensis. - -	III. 39.	

	Ecl. tab.	
ligustrina - -	III. 34.	27.
laefling it. p. 223. *β.* -	III. 36.	
lucida - -	III. 31.	24.
macrostachys -	III. 34.	26.
nigricans - -	III. 37.	29.
paniculata - -	III. 39.	
rosea - -	III. 33.	25.
salinarum - -	III. 35.	
tamarindifolia -	III. 40.	
tenuifolia. Linn. -	III. 40.	
trapezifolia - -	III. 36.	28.
umbellifera - -	III. 30.	
	Ic. tab.	
virgultosa - -	III. 32.	20.
Moutabea guianensis. Aubl. -	III. 4.	
Mucra. Marcgr. - -	I. 42.	
Nhamdu Marcgr. - -	I. 3.	
Nhandi. Piso - -	I. 3.	
Norantea guianensis. Aubl. -	II. 42.	
Oenothera *hirta.* Linn. -	II. 31.	
linifolia - -	II. 32.	
Onagra frutescens & hirsuta nereifolia. Plum. - -	II. 31.	
	Ecl. tab.	
Paliurus reticulatus -	III. 6.	23.
Panax chrysophyllum -	I. 33.	10.
morotoni. Aubl. -	I. 33.	
Passiflora glandulosa -	II. 52.	
Pegamea. Aubl. -	I. 28.	
Perexil. Marcgr. - -	I. 32.	
Pilocarpus racemosus -	I. 29.	10.
Piper aequale - -	I. 4.	3.
caudatum - -	I. 3.	
grande - -	II. 3.	11.
microstachyum -	II. 3.	
obovatum - -	I. 5.	
ovatum - -	I. 3.	1.
praemorsum - -	I. 4.	
rugosum - -	I. 4.	2.
Pitumba guianensis. Aubl. -	II. 32.	
Plukenetia integrifolia -	III. 43.	
volubilis - -	III. 43.	
scandens, hederae foliis serratis, fr. tetragono. Plum. - -	III. 43.	
Plumieria articulata -	II. 20.	
Poa racemosa - -	I. 7.	
Polypodium articulatum -	III. 51.	
latifolium - -	III. 50.	
lingua - -	III. 50.	
muscosum - -	III. 54.	
oppositum - -	III. 53.	
punctulatum -	III. 52.	
repandum - -	III. 53.	
rivulare - -	III. 51.	
salicifolium - -	III. 51.	

		Ecl. tab.	Ic. tab.
Prinos dioicus	II.	25.	14.
nitidus	II.	26.	
Psidium aromaticum	III.	30.	
Psychotria megalosperma	III.	3.	21.
Qvassia crocea	III.	12.	
Rhamnus, foliis buxeis minimis &c. Sloane tab. 207. f. 1.	I.	12.	
Rheedia. Linn.	II.	41.	
Rhexia bivalvis	I.	38.	
inconstans	I.	37.	
longifolia	I.	39.	15.
trivalvis	I.	39.	
Richeria grandis	I.	30.	4.
Rittera grandiflora	II.	37.	9.
pinnata	II.	38.	20.
Rondeletia buxifolia	II.	11.	12.
Rudolphia volubilis	III.	41.	30.
Ruellia alopecuroidea	II.	49.	
Ryania speciosa	I.	51.	9.
Schoenus barbatus	II.	4.	2.
hirsutus	I.	6.	
holoschoenoides. Act. s. h. n. Par.	II.	4.	
polyphyllus	II.	5.	
rugosus	II.	5.	
triceps	II.	4.	3.
Schradera capitata	I.	35.	5.
Scirpus hirtellus	III.	1.	
serrulatus	III.	1.	
spadiceus	I.	7.	
Scolosanthus versicolor	I.	11.	10.
Siderodendrum triflorum	I.	10.	
Sideroxyloides ferreum. Jacqu.	I.	10.	
Simaba guianensis. Aubl.	III.	12.	
Sipanea pratensis. Aubl.	II.	11.	
Siparuna guianensis	III.	42.	
Solanum asperum	II.	17.	
flexuosum	I.	22.	
frutescens &c. Plum. t. 224. f. 1.	I.	24.	
geminatum	I.	21.	
hirtum. Symb. bot. II. pag. 40.	I.	21.	
igneum β. parvifolium	I.	23.	
longiflorum	I.	20.	
pauciflorum	I.	20.	
polyacanthos	I.	24.	
Radula	II.	16.	
retrofractum	I.	21.	
rubiginosum	II.	17.	13.
scabrum	I.	22.	
Spermacoce aspera	I.	10.	
coerulescens	I.	9.	
linifolia	I.	8.	
longifolia	I.	8.	
Styrax glabrum	III.	29.	
Swartzia. Schreber	II.	39.	
Tabernaemontana heterophylla	II.	22.	14.
nereifolia	II.	21.	
odorata	II.	22.	
undulata	II.	20.	6.
Taligalea. Aubl.	II.	52.	
Talisia *guianensis.* Aubl.	II.	30.	
hexaphylla	II.	29.	
rosea	II.	30.	
cf. Addenda fasc. secundi.			
Tapogomea tomentosa. Aubl.	I.	19.	
Texauatel. Hernand.	I.	44.	
Tibouchina aspera. Aubl.	I.	41.	
Tococa guianensis. Aubl.	I.	45.	
Tournefortia sericea	I.	17.	
Tradescantia divaricata	I.	34.	
umbellata	III.	7.	
Tragia corniculata	II.	55.	19.
Trigonia laevis	II.	53.	
villosa	II.	53.	
Triumfetta grandiflora	II.	34.	30.
macrophylla	II.	34.	
Tupeicava. Piso.	II.	48.	
Vandellia diffusa	II.	47.	
pratensis	II.	48.	
Verbena aristata	II.	2.	11.
scabra	II.	2.	
Viola linarifolia	II.	18.	
Virecta biflora	II.	11.	
pratensis	II.	11.	
Vitex capitata	II.	50.	18.
triflora	II.	49.	
Vitis trifolia, uva corymbosa &c. Plum.	I.	16.	
Xiphidium *coeruleum.* Aubl.	I.	5.	
floribundum	I.	5.	
Loefling. it. p. 179	I.	5.	
Zanthoxylum album	III.	47.	27.
flavum	III.	48.	
simplicifolium	III.	45.	
ternatum	III.	46.	